ANGERBURG



M. GEORGII ANDREÆ Helwings/
Pastoris Angerburg. & Reg. Scient. Societ.
Berolin. Membri,

LITHOGRAPHIA ANGERBURGICA,

sive

LAPIDUM ET FOSSILIUM,

In Districtu Angerburgensi & ejus vicinia, ad trium vel quatuor milliarium spatium,

In Montibus, Agris, Arenofodinis & in primis circa *lacuum littora & fluviorum ripas,*

collectorum

brevis & succincta Consideratio

Additis rariorum aliquot figuris æri incisis,

cum Præfatione Autoris & Indicibus necessariis.

Veniet tempus, quô ista, quæ nunc latent, in lucem dies extrahet, & longioris ævi diligentia, Seneca.

REGIOMONTI, *Literis JOHANNIS STELTERI.* MDCCXVII.

PER-ILLUSTRI, GENEROSISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

DN. LUDOVICO à RAVTER,

S. REGIÆ MAJESTATIS

Regii Judicii Aulici in Prussia Præsidi fulgidissimo,

Hæreditario Domino in Zubrost, Resau &c. &c.

COGITATIUNCULAS HAS

de

LAPIDE RESAVIENSI

Literis

LVR

insignito,

Cum

LITHOGRAPHIA HAC ANGERBURGICA

in

devotissimi affectus tesseram

debitumque omnis exhibitæ benevolentiæ

in tot oblatis lapidum curiosorum

speciminibus

monumentum,

pariter

in

ulteriorem sui suorumque

commendationem,

cum voto perpetuæ felicitatis

eâ, qua par est, reverentia

submisse consecrat

M. G. A. Helvving,

P. A.

Lacûs	Villæ	Reſavienſis
Littora,	Utrinque	Referta
Lapidibus,	Varias	Revelantia
Literas,	Veramque	Recolentia
Laudis	Virtutiſque	Reminiſcentiam
LUDOVICI	VON	RAUTER,
Legislaturæ	Vigilantis	Rectoris,
Laudabiliter	Viventium	Refugii,
Legirupionum	Ultoris	Repentini,
Lites	Verſutas	Reformidantium
Lapſiſque	Vexatorum	Rebus
Liberatoris,	Ultimique	Refrigerii:
Lector	Vide,	Revide!
Lingvas	Vociferantes	Recogita,
Lateque	Vivat!	Reſonantes.
Labyrinthum	Vereris	Repanditum?
Latebroſam	Voraginem	Reris?
Libere	Vera	Referam.
Latent	Veſtigia	Ratiocinii.

Latebris Venisque Reclusis
Lucra, Vaticinia Reserantur:
Lenimina, Ubertates Resultant:
Lilia, Violæ, Rosæ
Liberaliter Ubique Resurgunt!
Lubet Urgere Reliqua:
Lunam Videlicet Recrescentem?
Læta Vovere Ruminor:
Lustra Vitæ Repetenda,
Liberis, Universis, Reipublicæ
Levamina, Utilitates, Robur.
Laborisque Victoriosam Remunerationem!

* * *   * * *

Labiis Visceribus Redditum
Levidense Votum Recipe:
Lithographiam Ultro Respice:
Lithophiloque Umbraculum Repræsenta!



Lectori Lithophilo Salutem!



Um inter infinita & innumerabilia, humano generi à Divino Numine conceſſa beneficia, nullum ſit, quod præſtantis atque excellentis Doctrinæ ſuæ & amplitudine & dignitate Hiſtoriam Naturalem, aut ſaltem eam illius partem, quâ corpora in viſceribus terræ latentia eruuntur, ſuperet aut adæquet; non abs re fore exiſtimavi, ſi polydædalam ſupellectilem atque ambitioſas opes, quibus in climate noſtrô, montes, agros & littora, liberalior Natura hactenus ditavit, pro ingenii mei captu & facultate perſcrutarer. Equidem non diffiteor, me initio dubium hæſiſſe, num tale argumenti genus, quod profeſſionis meæ non intereſſet, à me tractari poſſet? vel num manus operi admovere, ſi falcem in alienam meſſem immittere nollem, fas eſſet? Verum accuratius rem penſitando ſufficienter intellexi, officii mei partibus, ejuſmodi ſtudiorum inquiſitione nil derogari, cum horas tantummodo à publici officii curis vacuas,

huic

huic otio impenderem, ſimulque tali jucundâ Naturæ contemplatione, permoleſtas curas, anxietudines atque labores variaque corporis langveſcentis incommoda, levare, nedum ſæpe plane tollere poſſem. Quid? quod nec defuerint in exemplum Viri de Eccleſia Chriſti optimè meriti, conſimile ſtudiorum genus amplectentes, & ut rem conceſſam ſummopere commendantes. Nec tamen ſtimulo deſtitutus, hanc provinciam aggreſſus ſum, traxit me præter innatam ad hoc ſtudium propenſionem AMOR PATRIÆ, qui me ſibi ita variis modis obſtrinxit, ut quæ, ad ejus gloriam promovendam, quocunque modo facere intelligerem, oblata occaſione nunquam neglexerim, ſed in exſolvendo meo debito, totus totus ſemper fuerim occupatus. Quod me quidem jam in recenſendis plantis Pruſſicis, per *Floram Quaſimodogenitam* Anno 1712. Gedani editis, ex parte & primis quaſi lineis adumbrâſſe putavi, certâ ſpe fretus, futurum, quo mihi in perſcrutandis & perveſtigandis agrorum noſtrorum collibus, lacuum fluminumque marginibus & ripis, non ſemel deſudanti, commodior ſubminiſtraretur occaſio, quâ dulciſſimæ Patriæ celebratio, magis magiſque debitis laudum præconiis evehi poſſet. Addidit novum calcar ſponte ita currenti Excellentiſſimus atque Doctiſſimus Dominus *D. Johannes Philippus Breynius* Gedanenſis, Speculator Naturæ curioſiſſimus, Fautor meus ſingulariter colendus, quôcum primas lineas meas & obſervatiunculas qualeſcunque, ad ordinem *Schematiſmi Pruſſiæ ſubterraneæ* Domini *M. Chriſt. Gabrielis Fiſcheri* in Illuſtri Albertina *Profeſſoris Phyſici Extraordinarii,* Viri Doctiſſimi & ad ſcientiam Naturalem nati, Anno 1714. Regiomonti excuſi, conſignatas, deſideratiſſimè communicavi, atque ejus judicii non ſolùm per literas compos factus, ſed etiam ex ejus gratioſâ converſatione, quâ mihi ante biennium Gedani frui licuit, ſimulque inſtitutâ collatione rariſſimorum Speciminum, quæ mihi pro ſingulari benevolentia, ex abſolutiſſima Pinacotheca ſuâ, ordine deprompta fuêre, ita animatus fui, ut mox

occa-

occaſionem arripuerim rimas naturæ ulterius indagandi. Res voto ceſſit. Detectæ fuerunt plurimæ luxuriantis Naturæ gazæ, hactenus à nemine, niſi ſparſim, notatæ. Auctum fuit de die in diem cimelium meum. Crevit lapidum figuratorum multiformium numerus, petrificatorum ex regno vegetabili & animali admiranda varietas, conchyliorum, coralliorum, aliarumque rerum foſſilium, in fragmentis & ruderibus conſpicua raritas, tam ſpectabilis, tamque concinna, ut ea ſilentii peplo involvere ſine piaculo non potuerim. Non tamen mihi in his deſcribendis animus fuit, generationem & originem lapidum, vel præcipuarum cauſarum, qualitatum, virtutumque ex Principiis Philoſophiæ Naturalis eruere rationes, multominus uniuscujusque explicare differentias internas, id quod quàm ſolertiſſimè curioſiſſimos Naturæ myſtas jam pridem præſtitiſſe in propatulo eſt, ſed ea tantum, quæ ſub obtutum cadunt, & ad qualemcunque Hiſtoriæ Naturalis Pruſſicæ cognitionem ſpectare videbantur, ſub ſpecimine rudimenti, & occaſionis inſtar doctius aliquando locupletiusque hæc eadem aggreſſuris, recenſere, non tamen plane neglectis iis, quæ jam ab aliis alibi detecta & deſcripta fuêre, idque non aliam ob cauſam, quàm ut curioſis rerum foſſilium æſtimatoribus certò conſtaret, noſtras terras non ita inopes eſſe, quæ ſibi de ejusmodi Naturæ theſauris, quibus aliæ provinciæ hactenus glorìatæ ſunt, quoque gratulari non poſſent. Scripſi præprimis in gratiam illorum, quibus oras noſtras perveſtigandi, campos & littora viſitandi, nulla hactenus ſeſe obtulit occaſio, nihilominus tamen, & lapidum & foſſilium in ſinu terræ Pruſſicæ hucusque reconditorum, quandam cognitionem ſibi comparare, maximopere deſiderarunt, quorum votis & deſideriis ut annuerem, de mox evulgando hôcce tractatu cogitavi. In adhibendo ordine, non adeò anxiè de nova aliquâ methodo fui ſollicitus, neque ſecutus ſum exemplum, hoc argumenti genus ſeculo noſtro tractantium, qui ſumma genera excogitantes, certas ſpecies ei ſubjicere conati ſunt, ſed principium à facilio-

ribus ducens, ordinem, à Viro Excellentiſſimo & de re literaria maximè merito, *Johanne Jacobo Bajero*, Phil. & Med. D. & in Academia Altorffina Profeſſ. Publ., Illuſtris Reipubl. Norimberg. Phyſico *in Oryctographia Norica*, Anno 1708. Norimbergæ publici juris facta, adhibitum, ut ſcopo meo maximè convenientem, in plurimis ſecutus ſum. Quô mediante ſingula in certa capita, & ubi neceſſarium videbatur in Claſſes, Sectiones, paragraphos & numeros diſtinxi, & ſuo loco ita locavi, ut obſervationes notabiliores cum deſcriptionibus rariorum, quâ fieri potuit dexteritate, ubique communicarentur. Corallia quod attinet, ea ad deſcriptiones & icones Coralliographiæ Büttnerianæ, in quantum fieri potuit, accomodavi. Iconibus expreſſa nonnulla (quorum archetypa inter mea cimelia aſſervo) potiſſimum apud alios minus obvia. Si verò lapidum quorundam deſideratæ icones in aliorum ſcriptis laudabiliter expreſſæ, à me obſervatæ fuerunt, ubique citata Autoris pagina fideliter annotantur. Quæ autem ad hanc ſcientiam præciſè ſpectare non videbantur, ut aliena ſeparatim peculiari capite pertractata ſunt. Quod reſtat L. B. hoc qualecunque ſcriptum, placidè & benignè, Tuis à me accipe manibus, quod ſi feceris, ad majora deinceps animum exſtimulabis meum, & inprimis propediem edendæ FLORÆ CAMPANÆ *ſeu* PULSATILLÆ, cum ſuis ſpeciebus & varietatibus, methodicè conſideratæ, additis inſuper duodecim tabulis æri inciſis, ſubminiſtrabis occaſionem. Si me quô errore lapſum fuiſſe deprehendes (id quod ab homine non alienum intelligas) maximum erit in monitu & correctione Tua beneficium: Ubi verò hallucinatum fuiſſe Typographum cognoveris non mihi adſcribe, ſed mendas pauculas pro ſingulari benevolentia tua, ſarcire ne graveris. Ego interea Te Divini Numinis protectioni, omnigenam proſperitatem Tibi apprecaturus, commendo, devoto pectore exoptans, ut Tibi ex horum contemplatione gratias DEO agendi, ut Largitori omnium bonorum, ſufficiens anſa præbeatur. Ave.

JESUM!

Vir admodum Reverende,
Ecclesiæ Angerburgensis Pastor dignissime,
Frater in Christo, & Fautor, ut multis
abhinc Annis certissime, sic etiam
charissime, æstimatissime!

LIthographiam tuam Angerburgicam perlectioni meæ traditam totus, totus admiror, contenta enim ejusdem non solùm mirum & accuratum servant ordinem, verùm etiam miram cuivis solidamque Tuam digito quasi indice ostendunt Eruditionem, imò talia ex profundissimo Terræ Prussiacæ sinu producunt, quæ ne-

mini unquam viſa, nemini unquam audita ſunt. Aſt, Vir Reverende! Pace Tua fiat, num Miniſter Eccleſiæ vigilantisſimus, pluribus & ab officio ejusdem alienis intentus, Tempus, auro & argento carius, illæſa conſcientia terere poteſt? Annon potius reliquum temporis ſpatium ſaluti animarum ſeverisſimè eidem concreditarum nocte, dieque impendere? Annon vires collapſi inter nos Chriſtianiſmi omni modo reſtaurare, & priſtino eundem reddere nitori ſtuderet ardentisſimè? Meo quidem judicio omnes cordati idem mecum optant, mecum ſentiunt: Verùm num hæc ad TE? nullô modô! nec angunt nec tangunt Te talia! Si enim ſuſque, deque habitô officiô tuô unicè rebus animum applicares alienis, eſſet, quod reprehenſionem exſpectaret dignisſimam, aſt quia ex Utroque es Cæſar, & Eccleſiæ ut Paſtor fidelisſimus, Publico vero ut Philoſophiæ Magiſter inſervire allaboras Clarisſimus, non video, quomodo ab ullo hominum culpari, & cur non potius ob Lithographiam Tuam in Patria noſtra hactenus occultam, Tuo autem ſtudio & ſummâ erutam diligentiâ, ab hominibus laudari debeas maxime! Quid enim? Num officiô Tuô quid indigni in effectum deduxiſti? nemo ſanus tale quid

affirmare

affirmare audebit! Siquidem Tibi res eſt cum multis in cœtu tuo, qui Chriſto Domino Tuo in monte colligitur Angerburgicô, ipſis & Lapidibus durioribus; Ergo prouti oſtendis, quid virtutis, Utilitatis, quid in Lapidibus circa lacuum littora, & ſtridentium Fluviorum lateat ripas; Sic & quaſi non interrogatus fateri videris & lapideorum Te inprimis animorum habere curam, quò molleſiant, & corde carneô in præceptis Domini ambulent Ezech. II. v. 19. ante omnia quo Chriſtus Jeſus nemini Auditorum Tuorum ſit offenſionis, bene tamen Lapis Salutis omnibus & ſingulis exoptatisſimus Eſaiæ VIII. v. 14. 15. Lucæ II. v. 34. Pergas ergo & prodeſſe cœtui tuo diutius, pergas & publico Scriptis Tuis partim jam doctisſimè editis, partim & in poſterum cum uſu & fructu edendis, præeſſe quàm ſufficientisſimè! Præprimis ſuperſtructus Lapidi angulari, qui Chriſtus JEſus eſt Eph. II. v. 20., in commodum Familiæ Tuæ honorandæ per multos annorum tractus ſis immobilis felicisſime! Paucis! Faxit Creator lapidum in montibus, agris, arenofodinis, & etiam circa lacuum littora, & fluviorum ripas ſolertisſimè à TE obſervatorum, ut tandem relicto Mundi pelago montes cœli conſcendas ſanctisſi-

mos, ſicque Æri Æternitatis quaſi inciſus vitam agas, & ſuavisſimam & beatisſimam, quod optat, vovet Tuus

Tuorum Totus, pronus corpore
pronus animô

Raſtenburgi die
8. Januar. 1717.

M. Friederich Seuberlich/
Archi-Presbyter, Paſtor, &
Inſpector Scholarum
Raſtenburg.



LITHOGRAPHIÆ ANGER-BURGICÆ,

CAPUT I.

De terra Angerburgensi in genere, itemque de lacubus & fluminibus eorumque situ.

§. 1.



Erritorium Angerburgense ab antiquis Prussorum gentibus Sudinis ante adventum ordinis Teutonici inhabitatum, ad Sudaviam pertinuisse, satis fide dignis Henneberger i & Düsburgii testimoniis adstruitur: quibus tamen deinceps à proprio Duce Scumando in Sambiam translocatis, juxta vulgarem veteris Prussiæ distributionem ad Bartoniam revocatum esse, ex modo dictorum & aliorum Autoritate elicitur, de quô videri poterit Henneberg de Veter. Pruss. fol. 40. & sequ. Düsburg part. 3. c. 192. & Hartknoch in Chron. Prussiæ part. 1. c. 1. p. 37., item part. 2. c. 3. p. 416. Verùm cum hæc divisio modernis temporibus non tam strictè observetur, sed potius districtuum ratio habeatur, hinc ultra districtûs Angerburgensis limites (paucis quibusdam è viciniâ locis exceptis)

Lithographiæ

Lithographiæ noſtræ conſiderationem, curioſorum examini expoſituri, non extendemus.

§. 2.

Clauditur diſtrictus noſter, ſecundum quatuor mundi plagas à Septentrione Nordenburgenſis & Inſterburgenſis, ab ortu Olecenſis, à meridie Lœcenſis, ab occaſu verò Raſtenburgenſis & Bartenſis diſtrictus limitibus, inter quos in longitudinem ab ortu verſus occaſum octo fere milliaribus protrahitur, in latitudinem verò quinque fere ſeſe extendit, & quidem ſub Elevatione Poli inter gradum 54. & 55. ſita juxta obſervationem Linnemanni in Delic. Calendariogr. ad Annum 1645. quæſt. 1. Verùm cum hic Geographum agere noſtri non ſit inſtituti, plurimorum quoque libri hâc materiâ ſcateant, ipſæque tabulæ chorographicæ oculariter hoc demonſtrent, non neceſſarium duximus hâc liturâ commaculare chartas, ea ſolum, quæ ad ſubſtratam materiam facere videbantur, propoſituri.

§. 3.

Huic cœli præſidio ſubjectum territorium noſtrum, his terminis incluſus ager, in quantum contemplationem noſtram ingreditur, in conſiderationem trahendus erit. Ubi ſtatim notandum, terram noſtram, longè aliam hodienum, quàm ante diluvium habuit, nobis oſtendere faciem. Nam quod modernorum Phyſicorum experientiſſimi, ut Joh. Woodwardus Anglus, in Geographia ſua Phyſica, Johannes Jacobus Scheuchzerus in Herbario Diluviano, curioſiſſimus Büttner in Diluvii teſtibus & Coralliographia ſubterranea & plures alii, propria experientia & firmis ſuffulti rationibus, de totô globô terraqueô demonſtrarunt, idem etiam de Pruſſica & in ſpecie Angerburgicâ terrâ eôdem fundamento affirmare licebit, utpote in quâ non negligenda univerſalis cataclyſmi teſtimonia nobis ex abundanti ſubminiſtrantur. Quid enim mirificè variantis terræ mixtura? quid in eôdem fere loco ſabuloſæ, argilloſæ,

tophaceæ,

tophaceæ, margaceâ materiâ interſperſæ, & mox lapillis, mox teſtaceis varii generis perſtratæ terrarum compages, nobis aliud ob oculos ponunt? quàm indubitatum teſtimonium, ex quô apertiſſimè intelligi poteſt, quod diluvium apertis cœli cataractis, & emiſſis rapidiſſimæ abyſſi vorticibus, ſingula ita miſcuerit, confregerit, & ab uno loco in alium fluctuantibus undis tranſtulerit, ut tam in viſceribus, quàm in ſuperficie alia atque alia conſtitutio & facies terræ nobis objiciatur. Clarius hoc oſtendunt ad littora & ripas noſtras ſeſe offerentia ſtrata, quorum alia ita locantur ſuper alia, ut diverſitatem ſoli, gravioris quidem profundius, levioris verò ſuperius locati animadvertere poſſis, atque certò, & absque lumine revelationis concludere diluvii aquas & noſtram terram ita permeâſſe, diſcerpſiſſe & pervertiſſe, ut exinde tota quaſi immutata appareat. Verùm enim verò, intuentibus nobis paulò diſtinctius ſoli noſtri naturam & conſtitutionem, comperiemus maximam partem inprimis verſus Auſtrum arenoſam & ſabuloſam apparere, & vix aliud ſegetum genus quam ſecalis, idque optimum & magno proventu producere: Cujus rei cauſam fuſius tractatu noſtro de Pulſatilla c. 3. §. 3. proſequuti ſumus. Nec tamen deſunt loca fœcundiora & pinguia, varii generis ſemento conducibilia, quorum bonitas facili negotio, ſi perexiguâ aquâ fuerit conſperſa & manu ſubacta, ex glutinoſo ſuô & picis in morem digitis adhæreſcente lentore, cognoſcitur, adſtipulante Virgiliô:

Pinguis item quæ ſit tellus, hôc denique pactô
Diſcimus: haud unquam manibus jactata fatiſcit,
Sed picis in morem ad digitos lentiſcit habendô.

l. 2. Georgic. Alibi quoque non minus laudabile, nigrum ad horticulturam aptum occurrit, quod tamen quia & imbribus ferendis & ſiccitati non refragatur, ad fœcunditatem & liberaliorem proventum ſegetum promovendum multum valet: Cui tamen ſæpe fulvum, limoſum, ſaxoſum & arenis ſqualentibus opertum, ſterilitate & macrô ſabulo ſuo ſine admiſtione aliquâ

terreni conſpicuum agricolarum laborem fere quotannis fruſtratur. Id quod ſatis luculenter demonſtratum dedit Johann. Hermann in tractatu Polonicô: Ziemianin albo Goſpodarz Inflansky. c. 29.

§. 4.

Montibus quoque non caret diſtrictus noſter, ſed ubiquè ferè iis cingitur, non tamen admodum excelſis & præruptis, quod præprimis prope urbem noſtram obſervare licet, quæ ubique fere collibus circumdatur, qui tamen verſus Orientem ad pagum Brzozowken uno milliari ab urbe diſtantem molli jugo exſurgunt, poſtea altius ſeſe attollunt & in Parochia Kuttenſi circa pagum Pilaken altitudine ſatis notabili præ aliis eminent. Inter quos celebris eſt mons excelſus Grodzisko dictus, cujus aſcenſus arduus & præceps eſt, pagus ab eo dimidiæ horæ itinere diſtans ad radices montis proximè poſitus: In cacumine obſervantur rudera & vallis antiqui cujusdam munimenti, in quô reliquiæ variæ ferri, telorum, æris & ſimilium ab accolis effodiuntur. Num autem quædam mineralia vel ad materiam Medicam ſpectantia foſſilia, vel denique curioſa & miranda quædam diluvii rudera in viſceribus ſuis contineant, hactenus ob defectum fodinarum, experiri non licuit. Nullum tamen dubium eſt, quin aliquid vel ſalis foſſilis, vel mineræ martialis, vel terræ medicamentoſæ & pictoriæ, in occulto aſſervent, de die in diem facili negotio nobis detegendum, dummodo ſeculi infelicior ſtatus hoc in effectum deducere non impedierit. Notatu dignus verſus occaſum tractus montanus Engelſteinenſis jugo ſatis alto elevatus, in cujus cacuminė veteres Pruſſos propugnaculum quoddam habuiſſe, ex deſtructâ circumvallatione & deſtructis ruderibus conjicitur: cui ſimile prope arcem Lœcenſem & per lacum Leventinum lineá recta continuata, ad Ekersbergam exſtructum fuiſſe apparet, idque ut opinor, non aliam ob cauſam, quam ut Pruſſi ex

his

his tanquam ex ſpecula, per certa ſigna de hoſtium adventu admoniti, non ſolum cautius excubias agere, ſed etiam invaſioni inopinatæ tempeſtive prævenire vel etiam reſiſtere posſent. De quorum expugnatione Henneberg. p. 23. & 112. l. c. videri poterit. E quibus ſæpe rudera gentilitatis eruta, ad manus noſtras deferuntur, id quod in ſequentibus teſtatum dabimus.

§. 5.

Lacus & alias aquarum collectiones quod ſpectat, iis diſtrictus noſter præ aliis claret. Non quidem turbidis & ſalſis, utpote à mari longè diſſitis, ſed dulcibus & limpidis: quas inter agmen ducit lacus Angerburgenſis Germanicè die Mawer/ Polonicè *Mamri* dictus, tribus ferè milliaribus ſive ad ſtadia 24. in longitudinem, tam in receſſu, hoc eſt ubi terminatur, quam oſtiis, ubi influit amnis, & duobus in latitudinem milliaribus, ſeu ad ſtadia 16. ſeſe diffundens; qui antea teſte Hennebergerô in plures minores diviſus, jam autem ob aggerem partim ad oppugnationem arcis impediendam, partim ad molæ utriuſque tam frumentariæ quam truſatilis uſum promovendum, coacervatum & congeſtum, ita elevatus, ut ad haſtæ altitudinem ſurrexiſſe, in unam aquarum copiam confluxiſſe, atque uno jam eôdemque littori continuo incluſus eſſe appareat, profunditate ſuâ ſatis vaſta, & piſcium varii generis, inprimis anguillarum copia undiquaque celebratus, ita ut ubi quondam terra firma, continens vel peninſula aut Iſthmus apparebat, jam variæ inſulæ per lacum hunc quaſi diſſeminatæ conſpiciantur: quas inter præcipua eſt, Inſula Steinortenſis das Pryſtangſche Werder dicta, Dominio Illuſtriſſimorum Comitum à Lehndorff ſubjecta, cujus ſuccinctam deſcriptionem ob plurima notatu digna, hic inſerendam putamus. Sita eſt hæc Inſula ex Objecto tam pagi Stobben/ quam ſylvæ Pryſtangenſis, includens in circuitu ad minimum tres manſus, in cujus medio nonnulla

jugera ſationi deſtinata, cum quibusdam pratis ad ſuſtentationem incolarum jumentorumque ſuis limitibus includuntur, reliqua inſulæ planities undique arboribus varii generis & inprimis tiliis, ulmis, itemque quercetis, coryletis, betuletis, pyris pomiſque ſylveſtribus, nemus elegantiſſimum efformantibus, obſita eſt, quæ licet naturali ſuo inſtinctu confuſe & ſine ordine locatæ appareant, nihilominus tamen ſolerti cura adhibita & artificioſa manu accedente, ubi neceſſarium viſum, ita ordinatæ ſunt, ut exciſione ad regulam inſtituta, paſſim ambulacra efforment, lætam ſpatiantibus umbram præbentia, eosque ſuavibus oſcinum cantibus & luſciniarum modulamine apprime oblectantia. In medio vel quaſi centro, ubi dicta ambulacra & paradromi concurrunt, ſplendidum ædificium ad rationem modernæ architecturæ erectum viſitur, idque tam regulariter poſitum, ut ex qualibet feneſtra per patentia arborum exciſarum ſpatia tam aquarum undoſos fluctus, quam prædia, pagos, templa cum urbibus conſpicere liceat: intus tamen non minori pompa commendandum: non enim ſolum atria penicillo pictoriô exornata, ſed etiam ſingula hypocauſta undique curioſis imaginibus decorata ſunt, omnique apparatu œconomico & culinari referta, ut hoſpitibus hanc inſulam recreationis gratia viſitantibus nihil deeſſe videatur. Verſus Orientem inter denſiſſimas umbroſiſſimasque arbores taberna eremitica exſtructa eſt, cujus parietes intus muſco verſicolori denſe ſtipato obducti, artificioſas effigurationes efformant, inter quas ſpeculorum copia non negligenda objecta intrantibus exhibet: De cætero claret hæc Inſula venatione Alcium in fluctibus lacus ſæpe trajectarum, celebris eſt ob leporum ibidem quotannis enutritorum copiam, ob gruum aliarumque volucrum in eâ nidulantium varietatem, ob plantarum præcipuè montanarum ibidem copioſiſſimè propullulantium raritatem, & quam maximè ob fœcundam piſcium varii generis & inprimis murænarum capturam: & quod reticendum non eſt variam ſeſe offerentium

rentium lapidum figuratorum formam. Quemadmodum autem reliquæ hujus lacus Insulæ, retardationem fluxus pro causa agnoscunt, ita quoque modo delineata Insula, ad quam olim pedestri itinere transitus concedebatur, nunc autem per profunditatem expansarum aquarum interdictus est, nulli alii causæ quam aggeris coacervationi originem suam debet, ita ut adhuc in dies ejus littora crescentibus fluctibus magis magisque elui & quasi demergi deprehendantur. Utut verò jam in confesso positum est, oppositionem aggeris insulis efformandis occasionem dedisse, nihilominus tamen veram originem ipsius lacus inundationi adscribendam esse inficiari non possumus. Conservationem verò ejus ab aliis lacubus, à fluviis, fontibus, scaturiginibus & à subterraneis meatibus habere, ex oculari inspectione defendimus: recipit enim ex unâ parte per amnem anonymum Leventini fluctus, ex altera parte nostrum fluvium decantatissimum Angerap / quem à sui sinus sobole von der Strengelschen See acceptum cum fluctibus suis conjungit, qui deinceps per medium lacum transit, & prope Angerburgum ex aggere descendens, multis torrentibus auctus ad pagum Buczen in amnem rapidissimum Goldap/ districtum Angerburgensem à distinctu Insterburgensi secantem, sese exonerat, quocum ad Insteram fluvium sese devolvens in Pregelam illabitur. Qui ei tantum aquæ suppeditat, quantum solis calor & molarum usus aufert. Ubi tamen observatione dignum, quod quôvis septenario ita exsiccetur, ut vix molæ rotis versandis sufficiens sit, non aliter ac si refluxu aliquô ejus undæ retardentur, quæ iterum proxima hieme & inprimis vere ineunte tanta copia augentur, & quasi æstu intumescunt, ut vix sine periculo inundationis intra suos limites contineri possint. Cui fluxui & refluxui etiam obnoxia videntur nonnulla stagna & flumina Prussica, inprimis stagnum illud in districtu Kiauten alternis trienniis sponte piscosum & frugiferum (Ubi tamen celeberrimus Paulini Parentem suum in Schedis suis hoc referentem pro

triennio quinquennium posuisse, sed forsan aliorum relatione deceptum animadvertit) Cujus mentionem injicit Menzelius Dec. II. Ephem. Curios. Ann. V. observatione 2. Verba quæ „refert Paulini sunt sequentia: Næ, mirabile hoc stagnum „Prussicum, per tres annos aquâ repletum, & satis profundum „pisces copiosissimè reddit: elapsis verò tribus hisce annis, „sponte sua, aquis in fundo se subducentibus, exarescit, adeò, „ut accolæ in alveo arido omnis generis frumenta serant, & „felici proventu metant per tres annos, quibus præterlapsis, „aquæ iterum ex fontibus in fundo latentibus regurgitant, „cum piscibus mixtæ, nullo in solo continente rivulo affluente. Christian. Francisc. Paulini tract. de cœnarum Helena seu Anguilla Sect. I. Theor. c. 3. §. 15. p. 92. & 93. Curiosa sunt, quæ Seneca de diminuto & repetitô hoc cursu aquarum annotavit lib. 3. Natur. quæst. c. 16. & 26.

Par quoque ratio est decantatissimi illius lacus Resaviensis (Resausche See) ad Prædium nobile Resau, Per-Illustris, Generosissimi & Excellentissimi Domini LUDOVICI à RAUTER, S. Regiæ Majestatis Aulici Judicii Præsidis in Prussia, siti, alias divite piscatura Prasini piscis (Bressemfang) inclyti, lacus inquam tantæ profunditatis, quæ vix viginti radiis mensurari possit: de quo perhibetur, quod fluctus suos per cryptas & cuniculos cum lacu Angerburgensi, à quô tamen dimidii milliaris itinere distat, conjungat, nec tamen sine ratione. Factum enim jussu Generosissimi Possessoris, ut lucius quidam, cujus capiti cingulum æneum impositum fuit, Lacui Angerburgensi injiceretur, ad expiscandum, num tandem aliquando ille ipse lucius in lacu Resaviensi non sit comprehendendus? Res voto feliciter cessit, brevi enim temporis spatio elapso, in summam omnium admirationem iterum in lacu Resaviensi captus fuit: Id quod ex fide digna relatione & literis magni nominis Viri recensere non erubesco. Cui sententiæ quoque favere videtur, fontis cujusdam, in pago Thiergarten / medio fere inter dictos lacus

loco ſito, ante 36. annos à B. meo Parente procurata repurgatio, ex quo copia *Praſini piſcis* extracta fuit, cujus tamen maxima pars per ſubterraneas cryptas ſeſe iterum ſubduxit. Non poſtremum huic ſententiæ fulcrum afferre quoque videntur voraginoſi vortices paſſim in lacu reperiundi, qui & ab experientiſſimis piſcatoribus inprimis tempeſtuoſô aëre, vix ſine periculo evitari poſſunt. Ex quibus facilè conjicitur certos meatus, à lacu Angerburgenſi ad Reſavienſem continuo tractu ductos reperiri, per quos piſces ſtato anni tempore migrare, ſicque ab uno loco & lacu ad alium pertingere poſſint, in lautiſſima menſarum fercula, quibus vicini lacus & flumina guſtu magis grata, nequaquam ſubminiſtrare poſſunt. Ut jam taceamus arbores integras in fundo hujus lacus radicatas & verſus ſuperficiem aquarum erectas, quarum cacumina cymba prætervehentibus ſat manifeſtè ſeſe conſpicienda præbent: non minus Inſulas per lacum hinc inde ſparſas, rariſſimis plantis ſuperbientes, & inprimis liliorum convallium latè odorem ſpargentium copia refertas; quæ itidem ſatis firmis argumentis, lacum Reſavienſem non ſpernendæ contemplationis eſſe evincunt.

§. 6.

Non fruſtra horum lacuum atque in eis reperiundarum inſularum, mentionem injicimus, ſed ideò, quia præcipuam littora eorum Lithographiæ noſtræ materiam & objecta ex abſconditis fundi ſui domiciliis, non tantum undarum impetu, ſed etiam glaciei violentia ad ea delatis nobis ſubminiſtrant. Nam quando ſuperficies aquarum tempore hiemali craſſiſſimâ glaciali cruſtâ conſtricta & obtecta, ad finem menſis Martii vel Aprilis initium, calidis Auſtri ſpiraculis iterum liqueſcere incipit, & in rimas & fiſſuras diſrumpitur, tunc vehementiſſimo ſtrepitu, cum vento tempeſtuoſo, fruſta congelata, & omnis connexio glaciei diſſolvitur, magna violentia ad littora fertur, &

quævis

quævis obvia, lapides ſcilicet & res foſſiles è fundo in littora exportat, oculisque noſtris, ad ſummi Conditoris omnipotentiam celebrandam exponit. Quibus omnibus tamen littora Kehlenſia ex Objecto Inſulæ Steinorthenſis verſus Orientem ſita, per quæ fluvius Angerap ſeſe quoque per prata exonerat, palmam præripiunt : Variæ etenim in eis littoralium lapidum figuræ, oſſium petrificatorum varietates, coralliorum foſſilium formæ, quærentibus ſeſe offerunt. Ut taceam gemmarum Pruſſicarum non ſpernendas pretioſitates, quarum politura & reſplendeſcente pulchritudine non parum cimelium noſtrum hucusque auctum eſt.

CAPUT II.

De Terris in ſpecie, earumque differentiis.

§. 1.

Acturi de terris earumque differentiis primum locum *Argillæ* tribuemus, utpote notiori & ubique fere obviæ, quo deinceps facilior tranſitus ad alia & minus nota nobis concedatur. Non hic brevitati ſtudentes de definitionibus erimus ſolliciti, quas alios jam ſatis doctè adornâſſe neminem latere poteſt. Sed ſolùm diverſas ſpecies earumque naturam recenſere annitemur. Inter quas prima ſeſe offert *Argilla vulgaris flaveſcens*, quæ licet arena miſta & ſabuloſior exiſtat, nihilominus tamen vaſis figulinis efformandis apta, in fructibus accipiendis æque ac reddendis exuberans eſt, verum ſi aqua diluitur, cultu laborioſa exiſtit, raſtro & vomeri tractata adhæret, & utrumque magnis onerat glebis : iterum ſiccior facta ita indureſcit, ut intractabilis evadat ; ex quibus fertilitatem & bonitatem terræ, agricul-

turæ

turæ convenientem non obſcurè colligit Imperatus Hiſt. Nat. lib. 1. c. 6. p. m. 6. Huic in omnibus fere aſſimilatur *Argilla rubicunda*, nobis præciſè lateritia, Ziegel-Erde dicta, à priori non niſi colore diſtincta, ideòque iisdem fere uſibus dicata, præprimis verò ducendis & coquendis lateribus & tegulis, in exſtruendis parietibus & tegendis tectis expetitis, materiam præbens: de quibus experientia teſtatur, quod ſi calcis quidpiam admiſtum habeant, ſimulac è fornace eximuntur & humido aëri exponuntur, cum fragore diſſolvantur, aut ad minimum in inæquales rupturas abeant. Hujus generis eſſe apparet, quæ circa Angerburgenſem officinam laterariam (die Ziegel-Scheune) effoditur, quæ quidem alias tractabilis eſt, & ſat citò in igne dureſcit, verum tamen tempeſtatis injuria etiam quàm facillimè disſolvitur: cui tamen vitio ut obveniatur, diu in foveis expreſſè huic operi accommodatis maceratur, & deinde cum arena & jumentorum pilis probè miſta formis adaptatur, & quando in umbra fuerit ſiccata, fornaci imponitur & leni igne tractatur, quô magis magisque auctô, tandem ad perfectionem perducitur, quâ acquiſitâ egregia ſeſe rubedine commendat. Hæc eſt, ex quâ ollæ vulgares à figulis in vaſa culinaria finguntur, quæ vel rubedinem per ignem acceptam reſervant, vel incorporatione nigredinis per fumum illis indita, qualem in urnis Pruſſicis obſervamus, durationem (ut creditur) promittentes, matribus familias acceptæ fiunt.

§. 2.

Sed diſſeramus quoque de *argilla cærulea*, figulis noſtris blauer Schluff dicta: quæ præ aliis laudabilis habetur in agris Angerburgenſibus Mozenen dictis, cui ſimilis in querceto Dammerau effoditur. Neque tamen ſtatim in ſuperficie terræ apparet, ſed ad minimum ad profunditatem tricubitalem, ejectâ terræ cruſtâ detegitur, quæ deinde ſtratis ſuis incluſa in areas latas deducitur, quibus plerumque aliquantum arenæ ad

craſſitiem unius pedis ſubſtratum apparet, quâ remotâ iterum argilla cœrulea usque ad fundum, qui nobis Seegrund audit, colore & pinguedine priorem longè ſuperans, effoditur, lapillis, calcis ſcrupulis, gypſellis (de quibus Geſn. de fig. lap. p. 31.) & teſtarum fragmentis intermixta. Quæ ad margines fluviorum effoditur, variegata apparet, & vitrioli nonnihil habere deprehenditur. Hæc argillæ ſpecies à figulis pro primariâ habetur, & non tantum formandis fideliis, patinis, orbibus, urceis, cantharis aliisque fictilibus convenientiſſima, ſed etiam colori recipiendo & invitriationi inducendæ capaciſſima eſt. Id quod perfectius demonſtrant, qui præter figulinam artem & plaſticen exercent, & fingendis ex argilla variis typis & ſimilitudinibus ſunt occupati. Cujus generis plaſtes ſub protectione Magnæ & Generoſiſſimæ Comitiſſæ à Lehndorff jam per aliquot annos degit, qui in efformandis variis figuris, imagines hominum, animalium, & florum repræſentantibus itemque in ollis floralibus conficiendis, aliisque vaſculis in hypocauſtis ornamenti gratia collocandis & exponendis ita exercitatus eſt, ut opera gypſea, ænea & marmorea accuratiſſimè ad cujusque placitum imitari poſſit. Qui uſus plaſtices jam antiquis fuit cognitus, de quô conſuli poterit Plinius lib. 35. Hiſt. Nat. cap. 12.

§. 3.

Interea tamen non diffitemur argillæ noſtræ cœruleæ Angerbugenſi palmam præripere Lœcenſem, ab opificibus *Argillam tenuem* der feine Schluff dictam, viſciditate, pinguedine & lentore ſuo ad quævis conficienda figlina vaſa aptam, magisque in igne durabilem, utpote in quo colores additos non facilè mutat, nec invitriationi refragatur: materia ejus ignis violentia ad perfectionem redacta ſatis alba evadit, ut Hollandicis fictilibus non incongruè aſſimilari poſſit. De *Argilla cinerea* Aſch-grauer oder Kleibthon / prolixius diſſerere operæ pretium non eſt, quia hæc ut vilior parvi habetur, & ad incruſtandas areas, pavimenta

pavimenta & parietes plerumque adhibetur, in quibus, in primis ſi ſtramine interſperſo probè fuerit ſubacta, ita durat, ut compoſitiones ejus operibus cæmentitiis prævaleant. Pergimus jam ad *Argillam candidam* non immeritò Levcargillæ nomine efferendam; hæc ad littora lacus noſtri paſſim obvia eſt, inprimis in peninſula Kehlenſi copioſa ſeſe offert, quâ accolæ in dealbandis fornacum commiſſuris & hypocauſtorum tabulatis utuntur, atque ob tenacem ejus adhærentiam ſummamque albedinem calci & cretæ præferunt. Verum cum arena ſubtiliore permixta eſſe deprehenditur, ſimulque rara, friabilis, & in aquâ facilè ſolubilis eſt, rebus figlinis non conducit, niſi quod figuli fictilia, & pictores in officinis vitriariis vitra ea pingere ſoleant, quam ob cauſam etiam à Schwenkfeldio terra figulorum albiſſima, weiſſe Erde & weiſſer Mahlthon appellatur lib. de foſſib. Sileſiæ p. 399. Supereſt ut dicamus de *Argilla nigra*, quæ profundius in ſtratis hæret, quæ lentorem & pinguedinem ſuam, ſi fuerit humectata liquido oſtendit, exſiccata verò facilè dilabitur, vel manu conteritur; aliàs hâc ſingulari proprietate prædita, ut ſi vaſibus fictilibus fornaci immittendis appingatur, poſt eorum coctionem, candida evadat, iisque tam tenaciter adhæreat, ut amplius ſeparari non poſſit.

§. 4.

Jam ut de *Marga* agamus, ordo, ob materiæ convenientiam poſtulat. Non unius generis marga apud nos eruitur, ſed ut plurimum in duplici differentia ſeſe offert. Una candida eſt, in ſuperficie ſicca, durior & arenoſa, altius verò quæſita mollior apparet, quæ ſiccitas tamen durantibus imbribus humida & mollis redditur, quibus prætereuntibus, calore ſolis iterum facilè inducitur; aſpectu & materia calci exſtinctæ aſſimilatur, & ex imbibitione aquæ liqueſcit. Et licet arena permixta ſit, facilè ab eâ per leges artis ſeparatur, inprimis ſi aqua affuſa emolliatur, deinde ejus ſedimentum percoletur, & cum in

D 2 lutoſam

lutoſam materiam abierit, per evaporationem in terræ genus margaceum, vel ipſam margam puriſſimam tranſit. Reperitur certis venis prope fluvium Angerapp incluſa, porro ad prædium Nomeyten in arenoſis, ubi curioſisſimè certis colliculis effloreſcit, ſub quibus venas ſuas brachii crasſitie profundius in arena recondit: majoribus autem canalibus & validioribus receptaculis excipitur in montibus ad lacus noſtri Orientalem partem ſitis, in quibus ſparſim obvia eſt, non tamen in tanta copia, ut agri eâ impinguari & lætificari posſint. Quod autem hæc ipſa marga oſteocollæ generandæ materiam præbeat, ſuo loco demonſtratum dabimus. Altera eſt marga cruſtoſa columbina, in pomario meo ante aliquot annos è terrâ durisſima, lapidoſa, variis venis perſtrata, effoſſa; cujus fruſtulum adhuc aſſervo; cum autem admodum pauca reperta, plura de eâ commemorare, pretium operæ forſan non erit.

§. 5.

Cretam albam terra noſtra non offert, præter quædam fruſtula in ſalebroſis rarius obvia, quæ tamen licet cretaceæ videantur eſſe ſubſtantiæ, & albo colore tingant, obſtat tamen durities, quô minus pro verâ creta habeamus, quin potius pro lapillis calcareis, pluviæ beneficio & ſolis æſtu calcinatis æſtimemus: Sicuti etiam aliquod fruſtum pugni magnitudine in cœmiterio noſtro inventum, albedine ſua cretaceâ ſeſe commendans quidem, verùm ob ſingularem, quâ præditum eſt, raritatem & levitatem cretis annumerandum non putamus, inprimis cum aquæ impoſitum innatet, nec fundum petat, priusquam totum corpus aqua, quod plerumque ſonoro ſibilo præſtat, impriægnatum fuerit: ideoque ſatius pro agaraci fosſilis quadam ſpecie habendum cenſemus. Huic ſubjungimus *terram croceam*, item pilas circinatæ rotunditatis, per diametrum ſemunciales ochræ pictoriæ fere ſimliles, ſed magis friabiles & conſiſtentiâ ſua rariores, quæ ex arena rufa ſæpe eximuntur. Nec difficilis

eſt

eſt inventu in arenoſis terra durior, friabilis tamen, odore ſigillatæ colore melino; quam terram eſſe Alanam ab Alanis populis, qui nunc Valachi (Germ. Gelber Bolus) conjicimus, de quâ Joh. Kentmannus in Nomencl. rer. foſſ. p. 2. conſuli poterit. *Ochram* quod attinet, variis locis reperitur, inprimis in Kuttenſi Parochia auf der Neuſaß des Borckiſchen Wildnůßbereiters / ubi coloni effoſſam opificibus divendunt: majori autem quantitate acquirunt Memelenſes, qui totum montem verſus ortum ſitum, ochrâ repletum habent, ex quô ſcriniarii & pictores pro lubitu Ochram exportant. His annumerandam puto terram croceam lapidibus calcareis incluſam ad Stenomargam accedentem, quæ alias non niſi in metallis & lapicidinis inveniri ſolet, ut teſtatur Agricola lib. 2. de Nat. foſſ. c. 9. jam autem & nobis eſt domeſtica, licet tamen non in magna copia reperiatur. *Rubricæ* quoque aliqua injicienda eſt mentio: hæc rarior quidem eſt inventu, nihilominus tamen fruſtula quandoque nobis ſuppeditat ager Ogoncenſis in Salebroſis, quæ tamen molliora ſunt, & magis friabilia vulgari, ideoque prolixiore inquiſitione non indiga, aliàs pictoribus magis quàm fabris lignariis utilia.

§. 6.

Pauca quoque nunc de terra noſtra medicinali proponere operæ pretium erit, & quidem de *terra vitriolata* in uliginoſo pratô in medio lacus noſtri prope pagum Kehl, verſus Steinorth ſito, exempta, jure meritoque ſigillanda: de qua experientia docuit, quod ſi prima vice fuerit lota, mox poſt loturam cruſta intenſius lutea obducitur, ſi vero ſecunda vice lavetur, pallidior exiſtit: aqua autem poſt loturam ſuperſtes, ad leges artis tractata in cryſtallos abit. Deinde adeſt & punicea non negligendas vires promittens, pingvis, ſpiſſa, virtutis ſiccantis & emplaſticæ, & ut opinor Bolo vulgari Bohemico aliquatenus aſſimilanda.

CAPUT III.

De lapidibus certâ figurâ carentibus.

§. 1.

CUm *arena* ſterilium lapillorum coagmentatio & accumulatio ſit, meritò lapides propoſituri, ab eâ exordimur. Quæ apud nos communis uſus eſt, fluviatilis, littoralis ſeu arena vilis Germ. Bach-Mawrer oder gemeiner Sand / dicitur: colligitur ad ripas fluviorum, ſi autem ejus major quantitas expetitur, è littore lacus Kehlenſis advehitur, fabris murariis, quod calci ſubacta cuivis materiæ facilè adhæreat, variis operibus cæmentitiis, ſcilicet muris & fornicibus exſtruendis conveniens. Cui proximè accedit *ſabulum*, ubique fere obvium, quo viæ ſterni ſolent (Pflaſterſand) quod ipſum ſi fuerit cribratum Scheurſand nominatur, & ad mundificanda vaſa œconomica adhibetur. Minus curioſè tamen Schwenkfeld lib. de foſſilib. Sileſiæ, hujus arenæ ſpecies in marem & fœminam vel ex eô diſtinxiſſe videtur, quod adhuc inter Autores ambigatur, num ſabulum vera arena ſit, vel materia arenæ ſimilis, vel denique inter arenam & terram medium quid? quam tamen controverſiam non facio meam, ſed lectorem remitto ad Hiſt. Nat. Imperat., qui hac de re lib. 1. c. 10. fuſius diſſeruit. Sed eſt alia in littoribus noſtris *arena ex fuſco cinerea*, quæ tempore procelloſo fluctibus ejicitur, & in ſuperficie arenæ vulgaris hæret, unde ab accolis littoralibus colligitur, & ſcribis qui illa loco chartæ bibulæ utuntur, tribus groſſis integra menſura venditur. Præter has arenas quædam ex agro noſtro effodiuntur: nimirum *arena alba* & tenuis, quam figuli non ſolum cum argilla ad tollendam contractionem miſcent, ſed etiam vaſa fictilia, antequam igni committunt, conſpergunt, appellatione vulgari weiſſer Töpffer-

Sand /

Sand / efferentes; à quibus eam famulæ acquirunt, & cum aliquid calcis exſtinctæ admiſcuerint, eâ ad mundificandas & dealbandas menſas, ſedilia & ſcamna utuntur, quod probè conſiderans Kentmannus eam arenam menſariam Waſch-Sand vocavit. Altera quæ foſſilis eſt, luteô imo fere rufo eſt colore, quæ in ſalebroſis eruitur, in quâ non ſolum globuli & fruſtula ochræ pictoriæ, de quibus capite præcedente §. 5. dictum fuit, ſæpe deprehenduntur, ſed etiam Belemnites copioſi apparent, ideòque meritò terræ luteæ ochræ & belemnitis fertilis appellatione eam ſalutare viſum fuit.

§. 2.

Jam ad lapides molliores tranſeamus. Inter quos primum locum tenebunt *Statuarii* ſeu ſculptiles, qui apud nos quidem ob defectum lapicidinarum tantæ molis non viſuntur, ut ab operariis ad ſculpturas & figurarum uſum adhiberi poſſint, nihilominus tamen fruſta quædam in agris paſſim obvia ſunt, colore cineraceô, grano minuto æqualiter compacto. Quem defectum tamen reſarciunt *Saxa arenaria*, ex quibus & lapides angulares & columnares & ſphærici in ornamenta ædificiorum cæduntur, ſaxa item molaria, quæ molitores plerumque ipſi fabricant, & ob bonitatem quâ Pirnenſibus non cedunt, lingvâ Germanicâ Pirnerſtein efferuntur: quorum conſideratio licet ad duriores lapides magis referri debuiſſet, nihilominus tamen, cum occaſione data, in horum tractationem prolapſi ſumus, facilè L. B. ἀταξίαν noſtram excuſabit. Ab his tamen quam maxime differunt, arenoſi & ſabuloſi lapides, qui pro differentia ſabuli & arenæ ex quibus conſtant, manifeſtam ſuam ex minutis partibus conſiſtentiam produnt. *Calcarios lapides* quod attinet, hi ad amnes & in agris copioſiſſimè colliguntur, ſæpenumero tantæ magnitudinis, ut unus calcinatus ducenta dolia calcis ſuppeditarit, quod ante triennium Conſul modernus Raſtenburgenſis, Melchior Hippel, Vir mercatura clarus, expertus

expertus eſt, qui ejusmodi lapidem à cive Lœcenſi jure permutationis acquiſitum, in minutias confringere, & ignis beneficio in calcem ſolvere jusſit, unde tantum calcis nactus eſt, ut noviter exſtruendis ædibus ferè ſufficeret. Ubi notandum, quod alii ex his lapidibus ſint ſolubiles, ii ſcilicet, quorum humor internâ violentiâ ignis à terra ſeparatur, alii vero ab humore inſeparabiles, quorum ſcilicet ſubſtantia vel humori magis unitur, vel plane humoris expers eſt, qui ſiquidem liqueſcunt, & invitriantur. Quæ invitriatio unio eſt, non ab humore ſed à vehementi ignis operatione inducta, ut differit Imperat. Hiſt. Nat. l. 2. c. 18. l. 5. c. 16. & 22. c. 5. Colorem calcis quod ſpectat, ordinariè albus eſt, ſæpe tamen ex fuſco cinereus vel ravidus vel denique plane nigricans apparet, qui curioſitatis gratia ſeparari & aſſervari ſolet.

§. 3.

Nunc quoque *lapides Gypſei*, utpote materia calci tam vicini, ut primo intuitu ab invicem diſcerni nequeant, ſed dubium relinquant, utrum calci vel gypſo annumerari debeant, videndi erunt. Calcinatores indifferenter cum calcariis congerunt, ſimulque cum iis fornacibus injiciunt, quos tamen exemptos ſingulari ſua albedine à calce vulgari facilè diſtingvunt, & ad dealbandos parietes ſeparatim divendunt. Aſt ſi paulo circumſpectius obſerventur, facillimô negotio, ut denſiores, ſpisſiores, & ponderoſiores, marmori aliquadantenus ſimiles, à calcariis diſtingvuntur. Et licet varii generis lapides ut tophacei, conchites, pectunculites, alabaſtrites & ſimiles calcinari ſive in calcem redigi poſſint, neutiquam tamen vel gypſeis vel calcariis annumerandi erunt, ſed manent ſui generis peculiares lapides, & inprimis *Alabaſtrum*, quod ad margines lacûs noſtri pugni magnitudine legitur, & ita purum & album eſt, ut Alabaſtriti exotico nîl cedat, quin aliquando illum ſuperet, mollitie ſatis commendabili. *Tophus* apud nos non admodum

frequens eſt, ſed rarius ad littora conſpicitur, ſubſtantia ſua levis & poroſus: Inprimis offenditur Tophus candidus conchis plenus, ein Toffſtein darinnen Schnecken-Häuſer; nec non alius in quo folia Alni & Quercus ſunt impreſſa, quales deſcripſit Kentm. in Nomencl. rer. foſſ. p. 38. *Pumicem* alium non vidi quàm nigricantem, fluctibus lacus prope Steinorth ejectum. *Ammochryſos*, eoſque molles & friabiles, variis locis deprehendimus, copioſiſſimè autem auf dem Dobiſchen Werder/ itemque in prædio nobili Launiken, quô nonnulli probè contritô, arenæ ſcriptoriæ loco delectantur. Ab ejusmodi arenis Romæ mons Laniculenſis, nomen habet montis aurei noſtrô tempore, teſte Kentm. l. c. p. 28.

§. 4.

Marmori quoque favet territorium noſtrum, & licet rarius obvium ſit, nihiloſecius talia fragmenta & fruſta ſuppeditat, quæ albis, rubris, croceis, cinereis maculis diſtincta ſunt, quemadmodum ejusmodi globum fere hemiſphæricum ad lævigandos colores à figulo in hanc formam adaptatum, ad littus Leventini lacus inventum ipſe poſſideo. Cui accenſeri poterit ſphæra marmorea, circinatæ rotunditatis, per diametrum dodrantalis arte quidem facta, è terrâ tamen noſtra tribus abhinc milliaribus in Parochia Zabinenſi eruta. Et ne quis opinaretur, nos ſolùm aliunde acquiſita marmora in medium protuliſſe, oſtendere poſſumus non ſolum marmoris cinerei fruſta ex argilla in cœmiterio noſtro exempta, ſed integrum quoque lapidem in agro vomere erutum, qui figuras colore diſtinctas dilutiore, varia florum, fructuum & animalium ſimulacra referentes monſtrat, quem ut maximè curioſum inter reliqua collectanea aſſervo. Sicuti etiam albi marmoris ſatis dura fruſta, ex ripis Kehlenſibus afferuntur, in quibus maculæ cœrulaſcentes conſpiciuntur. Quibus non immeritò quædam ſaxa du-

riora zonis albicantibus viridibus & rubentibus interſtincta annumerari poſſunt ab utroque ſubſtantiam ſuam participantes.

§. 5.

Hoc paragrapho *ſilices* referendi erunt. Horum magnus numerus nec minor quoque varietas apud nos obſervatur. Primarius eſſe poteſt ſilex ille vulgaris, Imperato ſilex verus Hiſt.Nat. p.777. dictus, Germ. idiomate Feuerſtein: verum cum hujus deſcriptionem inter corallia foſſilia recenſendam ſervamus, pergimus reliquos ſilices viſuri. Inter quos *ſilex fluviatilis* à Kentmanno pellucidus candidus, ein weiſſer durchſichtiger Kieſling in Nomencl. rer. foſſ. p. 44. appellatus, quoniam uſus Medicos ingreditur, & præprimis in præparatione tincturæ nephriticæ adhibetur, primus ſub conſiderationem cadit. Non unius autem hic generis reperitur, alius purus quidem eſt & albus ſed plures ex albô & nigrô mixti, lutei, ex luteo pallido variegati, fuſci & rubentes occurrunt, nonnulli pellucentes ſardæ colore Kieſling einem Carniol gleich / quales deſcripſit Kentm. l. c., apparent. Alii cum materia Saxoſa conjuncti ſunt, & ad modum cryſtalli efflorecunt. Sunt & alii ſilices ejusdem farinæ, coloris alboſuſci, duritie ad marmora accedentes intercurſantibus hinc inde lineis & venis albis, iisque latioribus, quorum unum ſatis validum è lithoſtrato cœmiterii Angerburgenſis exemptum aſſervo. Rarius quoque eruitur ſilex candidus pellucidus, adeò durus, ut vitrum eô ſcindere poſſis. Hic notandum quod in campo pagi Krzywiensken in locis montoſis reperiantur *coagula* quædam *lapidea* tam firmiter concreta, ut quaſi interfuſo quôdam naturali glutine ſeu cæmento compacta appareant, ab iis quæ materia gypſea ſeu margacea concreverunt, & vulgariter coagula lapidea appellantur, plane diverſa & aliena, hæc enim ex calcariis & vulgaribus lapillis quibus ſæpe aliquid mineræ martis admixtum eſt, conflata ſunt, illa verò ex meris ſilicibus albis & rubentibus conſtant, it-

u

ut ne veſtigium quidem alterius lapidis, in eorum tota coagmentatione obſervari queat. *Silex*, qui dicitur *ſpurius*, ut credo ob externam faciem à Schwenkfeldio ſilicibus annumeratus, ita ſilici vero & genuino ſeu lapidi corneo aſſimilatur, ut niſi inde quod percuſſus ignem non reddat cognoſcatur, & exercitatum in hiſtoria lapidum fallere poſſit. Solent quidem inter ſilices recenſere eos, qui pro ſternendis plateis in uſu ſunt, Germanicè Pflaſterſteine / Gaſſenſteine / Beſetzſteine dicti, verum hi cum marmore molliores ſint, non ſilices ſed lapides ſimpliciter appellandi ſunt, ut rectè monet Geſnerus l. c. Pyritarum ſpecies in diſtrictu noſtro nondum obſervavimus, quia tamen legimus citantem Severinum Gœbelium nonnulla Pyritarum Pruſſicarum, aliorumque metallorum genera, in libris quos de ſuccino ſcripſit p. 20., idcirco ad eum Lectorem curioſum remittimus.

CAPUT IV.

De Lapidibus Diaphanis.

§. 1.

Licet *Jaſpis* non ſit præciſè perſpicuus, quo ipſo etiam inter alia ab Achate diſtingvitur, nihilominus tamen ob pretioſitatem quam habet præ vulgaribus lapidibus, huic capiti inſerere placuit. Offert ſeſe hæc gemma colore ſpadiceo ad littora lacus noſtri, inprimis verſus occaſum, fruſtulis tantæ magnitudinis, ut annulis vel etiam ſigillis commodè adaptari poſſit. Qualia etiam amicis curioſa colligentibus ſæpe miſi. Oſtenduntur quoque plures Jaſpides Boruſſici non ſolum ſpadicei, ſed & aliter colorati in Muſeo Gottwaldiano Scrinio 3. capſula 34. in Illuſtri

Gymnaſio Dantiſcano hucuſque aſſervato, jam autem Petersburgum deportato, ſtudio huic deditis maximopere commendabili.

§. 2.

Achate maximè gloriantur littora Angerburgenſia, cujus aliqua ſpecimina offert Muſeum Gottwaldianum capſula modo citata, verùm littus noſtrum longè plura monſtrat, in quibus naturæ occultus penicillus, varia rerum ſimulacra expinxit: puta arbores, fructus, animalia & id genus alia. Species quas poſſideo ſunt ſequentes:

1. *Achates* infuſcus magnitudine & figurâ ovi columbini, maculis luteo-pallidis variarum rerum imagines exprimens; ex quibus eam diſtinctius nobis concipere poſſumus, quæ accipitrem in ramo ſtantem collô retrô inversô, ocellô & roſtrô manifeſtè conſpicuô, monſtrat, ſuper cujus capite ſertum aliquod, quaſi ex frondibus complicatum apparet. Politurâ ſuâ egregiè nitens.

2. *Achates* Anthropomorphus, pallidè luteus maculis albis ornatus, quas inter medio loco eminet imago Regis barbati, cujus caput diademate ornatum. Figuræ eſt ovalis depreſſæ, amygdalæ putamini adhuc incluſæ magnitudine, egregiè quoque politus.

3. *Achates* colore nigricante, ejusdem fere magnitudinis cum primo, tantum forma depreſſiore, fulvis lineis & maculis inter ſe permixtus, ſplendore ſuô priores antecellens.

4. Cui annumerandus ejusdem coloris maculis aſperſus, circinatæ rotunditatis, ſuperius convexæ, magnitudine cerafi acini ſylveſtris, itidem politus.

5. Deprehenduntur etiam ſæpe inter lapides littorales *Achates* leonini coloris, formâ & lineis variantes, qui politura accedente varias figuras promittunt.

6. *Achates*, qui duritie reliquos omnes præeunt, & ob hanc causam quàm optimè polituram recipiunt, nigris accensemus: in quibus autem aliquid albedinis apparet, ad Achates vitreæ perspicuitatis Plinii, vel Achates subcœruleos referimus: inter quos maximè curiosus est, qui mediâ parte fissus, & ad annuli usum adaptatus & politus est, in quo caput & facies religiosi cujusdam canitie refertum, evidenter conspicuum est, pallium verò quô cingitur atredine à basi lapidis satis exactè distingvitur.

7. *Achates* albus cinereis maculis plenus, qui non more reliquorum Achatum, externô cortice seu matrice lapidibus vulgaribus assimili includitur, sed externâ facie rugosus est, in modum cornuum cervinorum, figura & globosa & oblonga: quod me movit dubitare num ob hanc externam faciem non potius *Cerachates*, quàm ob venas intus cornu referentes dicendus sit? eôdem modô quô silex vulgaris, lapis corneus ob externam faciem, non verò propter internas effigies dici solitus est. Sed aliorum hic judicium expecto: & ut me brevibus expediam, dico, territorium nostrum in exponendis diversis Achatum speciebus, à naturâ pictrice mirificè figuratis, de tanto partu ita gloriari posse, ut sæpe cum exoticis de pulchritudine & pretiositate certare non erubescat.

§. 3.

Chalcedonios quoque colligimus in agris & littoribus nostris, ob nubeculam, quâ sæpe tincti sunt semiperspicuos, facilè diaphaneitate suâ ab aliis gemmis dignoscendos. Quorum duos politura & duritie sua aliis præstantiores possideo. Et cum aliquid de horum substantia *Chalcedonio-Jaspides* participant, in nostris etiam oris inter Jaspides occurrere hocce scripto nostro testamur. *Sardum* & *Carneolum* à diluta carnis rubedine nostra quoque alit terra. Germ. Ein Carniol/ nobisque & rotundâ & oblongâ figura suppeditat, quæ loturæ carnis quidem similis

eſt & pulcherrimè nitet, verùm non tranſparet, ſed propter opacitatem ſuam ſemiperſpicua manet. His gemmis adhuc lapidem *Nephriticum* adjungimus, Hiſpanico bonitate nil fere cedentem, de quô nos non ſolum ejus eximia durities, ob quam exacte poliri nequit, ſed ſemper in ſuperficie quaſi oleô inunctus & pingvis apparet, verùm etiam ejus viriditas, quæ ex viridi & albo, vel ex viridi & nigro mixta eſt, certificat.

§. 4.

Adamas degener Boruſſicus, aliàs *Bohemicus* ſeu *Pſeudoadamas*, ein Preußiſcher oder Bömiſcher Diamant/ noſtri littoris eſt incola: inprimis prope Steinorth copioſus legitur, ſæpe tamen & in agro obvius. Matrici ſiliceæ incluſus hæret, in qua ſe radiis ſuis lucidis prodit, difficulter ab ea integer divellendus. Matrix plerumque formam inauris cuſpide obtuſa tetragona vel hexagona, vel etiam lapidis olivaris habet, quo ipſo ad cryſtalla pertinere non obſcurè oſtendit. Color eſt Diaphanus & purus, quandoque tamen rubigine minerali ejusque fumoſitate tinctus cernitur. A ſuperſtitioſo vulgo Zanokczyca ſeu paronychia nominatur, quia ſolo illius contactu, hujus nominis morbum digitis infligi credit. *Cryſtallos* diſtrictus noſter non gignit, verum vicinia nobis quædam ejus ſpecimina ſubminiſtrat. Imperatus Cryſtallinos fluores, ingemmationes dixit, easque inſepultas, hoc eſt, tales quæ in terræ viſceribus generantur, abſque fulcimento baſeos, quo innitantur, & affixas, ſive tales quæ certam habent matricem, cui radicibus ſuis affiguntur, diſtinxit. Utriusque generis nobis ſuppeditantur ſpecimina è viciniâ, affixæ ſcilicet & denſæ ſeu connatæ, in baſi metalli fertiles, & ſepultæ, ſeparatim vomere ex agro erutæ; pellucidæ & multis angulis ita cuſpidatæ, ut ſingulari cura politas crederes. Locum natalem agnoſcunt agrum Culmenſem, ex quô copioſè eximuntur. Has & illas conſervo curioſitatis gratia, confer. Imper. H. N. l. 24. c. 9. Item Happelius Tom. 4. Relat. Curioſ. p. 449. Notatu tamen dignum

gnum eſt, quod Cluſius in Garziæ ab Horto Hiſtoria de Gemmis annotavit, per univerſam ſcilicet Indiam, cryſtallos non reperiri, ubi ſimul hanc ſubminiſtrat rationem, ſcilicet quia cryſtallus loca frigidiora amat, quales ſunt Alpes Germaniam ab Italia ſeparantes h. i. p. m. 176. Cum quô cohæret quod Olaus M. de Oſtrogothorum oppido Sudercopenſi, & cryſtallini lapidis generatione, Hiſtoriæ ſuæ Septentrionali inſeruit, ut videre eſt l. 2. c. 28. *Fluores* aliquando in aliis lapidibus proſtant, quemadmodum albos & ex candido cœruleos oſtendere poſſum. *Granatorum* quoque aliqua ratio habenda eſt, reperiuntur enim in gemmarum & inprimis Achatum ſuperficie, ut in matrice hærentes, extra quas ſeparatim neque in agro, neque circa margines aquarum hactenus viſæ ſunt. *Rubini* pretioſitas, cujus licet ne veſtigium quidem prope Angerburgum appareat, non permittit tamen ut eam intactam relinquamus; Cum enim ante biennium menſe Octobri inter Doctiſſimos & Curioſos Elbingæ Proceres, & plurimum Reverendum Doctiſſimumque Dominum Wilhelmum Rupſonium viſitarem, ſub fide mihi retulit, ſe Rubinum lupini magnitudine ad ripam alluentis amnis ſuſtuliſſe, qui, ut ipſe vidi, politurâ acceptâ & auro incluſus, tanta pretioſitate & ſplendore ſeſe commendabat, ut Orientalibus vix cedere videretur.

CAPUT V.
De Lapidibus certâ figurâ præditis.

§. 1.

INter lapides figuratos, quos territorium noſtrum intra ſua viſcera nutrit, primo loco videndi erunt, qui ſeſe *Mathematicâ figurâ* & quidem *Sphærica* oſtentant. Hujus generis quam plurimi ſeſe offerunt: ex quorum numero notatu digni lapilli exactè ſphærici, & apti, qui pro plumbea ſphæra ſeu pila ad ſclopetorum uſum recipiantur. Olaus M. in

in Oſtrogothenſium montium vallibus infinitos lapillos globuli figura formatos reperiri teſtatur, eosque cœli & elementorum ſecreto influxu fieri, aſſerere non erubeſcit Hiſt. Sept. l. 2. c. 28. Magis conſideratè quidem Ferrantes Imperatus à circumvolutione motuque exteriori rotundari putat H. N. l. 24. c. 27. Geſnerus tamen optimè tales ſolius naturæ beneficiô abundare ex mente Cardani perhibet. Quibus accenſeri merentur ovales, hemiſphærici, depreſſi & alii ad Mathematicas figurationes quôcunque modô accedentes. Sicuti exempli gratia lapides caſeiformes, qualis eſt *lapis in Caſei Belgici figuram* depreſſæ rotunditatis formatus, im campo Kehlenſi inter ſtrues lapidum deprehenſus, cujus generis & alius viſus, qui caſeum Hollandicum referebat, per medium diviſum. Corium extremum caſei corio adeo ſimile fuit, ut vix ovum ovo ſimilius dici poſſit: inmedio ita denſatus erat, ut ſolidum corpus efficeret, & ſuperficies colori caſei reſponderet. Poſſeſſor hujus lapidis tum temporis erat Doctiſſimus Dominus Pauli, Rector Johannisburgenſis, nunc ArchiPresbyter Memelenſium digniſſimus. Deſcripſit hujusmodi lapidis figuram jam ſuo ævo Kentmannus l. c. p. 45. Plures minores caſeiformes, depreſſos caſeos referentes, Germ. Zwerg / Pol. Gomołky, quod cornibus careant, & alii in extremitatibus cuſpidati Polon. Twarogi, quaſi Dwa rogi mają̨ce binis cornibus præditi, atque alii aliter figurati, ad rivos leguntur.

§. 2.

Addimus hic lapides, quos natura *panibus ſimilagineis æmulos* ſinxit, ex duobus rotundatis & globuloſis lapidibus, quorum alter altero ſemper minor apparet, ſibi invicem arctiſſimô nexu ita junctis, ut juncturæ interſtitium ſatis manifeſte inter eos conſpiciatur, quorum ſuperior pars extuberans & convexa eſt, inferior verò plana apparet, wie die Paar-Semmel geſtalt. Deſcripſit ejusmodi lapidem jam Wormius in ſuo Muſeo eumque

ſilicem

ſilicem panem triticeum melioris ſortis lib. 1. c. 13. Sect. 2. nominavit. Mylius in Saxoniæ ſuæ ſubterraneæ p. 1. pag. 61. lapidi mammoſo Aldrovandi l. 4. p. 769. deſcripto, aſſimilari putat, licet ratione coloris differentia quædam intercedat.

§. 3.

Aëtitæ hic quoque locum damus. Et licet vulgarem in Pruſſia non obſervaverimus, multos tamen alios variè figuratos, partim arenâ reſonantes partim non reſonantes & callimo vel terrâ repletos, in ſabuloſis & inprimis in ſtratis littoralibus vidimus, hac tamen notabili differentia, quod ex ſtratis exempti plerumque integri, ad littora verò lecti confracti apparuerint. Inprimis copioſus iisdem locis occurrit *Geodes*, cruſtæ durioris partim ſubrutili, partim ſublutei coloris, maſſam plerumque luteopallidam, rarius albam in ſe continenti incluſus, aëtitem depreſſæ rotunditatis ſimulans. Eſt & alius oblongus, Miſnenſis Kentmanno l. c. p. 35. dictus, itidem terra lutea prægnans.

§. 4.

Conicam figuram referunt *Belemnitæ*. Fertilem eorum Pruſſiam eſſe & noſtrum teſtari poterit clima. Facili enim negotiô inveniuntur. Non ſolùm ad littora lacûs noſtri, ſed etiam è terra glareoſâ copioſè effodiuntur. Sæpiſſimè enim lapidi calcario vel gypſeo ceu matrici ſuæ immerſi apparent. Ut plurimum autem noſtri Belemnites pellucidi ſunt, neque armaturâ metallicâ obducti, quod defectui metallicarum exhalationum in oris noſtris adſcribendum putamus. Quos ego collegi, ſunt in ſequenti ordine:

1. *Belemnites* maſſæ lapideæ coloris cinerei ut matrici incluſus. Hujusmodi quam plurimos poſſideo in rubro nigros pellucidos, intus cavos & materiâ terreâ impletos, ſecundum majus & minus differentes.

2. *Belemnites* ſeparatus Pruſſicus in rubro niger pellucidus, figuræ conicæ jam à Kentm. l. c. p. 34. deſcriptus.

3. *Belemnites* cinerei coloris pellucidus, qui terram in ſe continet, itidem à Kentmanno delineatus, quem Geſnerus de fig. lapid. p. 91. & 97. Belemnitem albicantem tanquam cruſta è creta inductum appellavit. Et hic eſt figura conica.

4. *Belemnites* depreſſus figurâ conicâ.

5. *Belemnites* eroſus & quaſi vermibus exeſus itidem conicus. Bajer. Oryctogr.

6. *Belemnites* cui alter innatus, figura quidem conicâ verùm depreſſa, conf. de Laët de gemm. & lapid. p. 154.

7. *Belemnites* cylindraceus, qui itidem cum præcedentibus pellucidus & albicans eſt: hujus ſpecimina alia ſunt majora, alia minora, quorum figuram pro imperfecta & detruncata cum Doctiſſ. Bayero in Oryct. Nor. habemus.

8. *Belemnites* cylindraceus niger Germ. Rabenſtein.

9. *Belemnites* pellucidus fabæ formâ: Horum alii ſunt excavati vel perforati, alii verò integri figuram vel conicam vel cylindraceam oſtendentes.

10. *Belemnites* ari piſtillum referens, qui in medio ventricoſior, utrôque autem extremô tenuior eſt, ut deſcribitur à Scheuchzero in ſpecimine Lithogr. Helvet. p. 25. cujus iconem dedit num. 34, itemque Luidius num. 1702. Ichnograph., quem Geſnerus fuſi ſeu Rhombi oblongi utrinque mucronati ſpecie, aut pyramidis potius, duplici baſi ſibi invicem junctæ, mucronibus autem oppoſitis, delineavit. lib. de fig. lap. 92.

§. 5.

Hujus generis maximè curioſum extra matricem conſtitutum in ſcrinio meo aſſervo, de quo quid ſentiam reticere non poſſum. Eſt autem modo dictus Belemnites ſeſtantem cum ſemuncia longus, unciam autem latus, quoad materiam reliquis Pruſſicis non diſſimilis, pellucidus ſeu ſuccini Falerni

un

ut vulgo dicunt colorem præ ſe ferens. Et quoniam qua partem craſſiorem in extremitate ſatis apertè articulationem quandam, foraminulo aperto oſtendit, qua veluti ſpina dorſo cujusdam animalis quondam adhæſiſſe videtur, in eam opinionem nos facilè prolabi debere ſvadet, quâ ſuſpicemur, generationem ſuam & formam animalibus marinis debere, & inprimis ex teſtaceorum genere iis, qui Tubuli, Penicilli, Entali & Dentali appellantur. Cui etiam opinioni patrocinari videtur, quod ſpecimina quædam, teſta membranacea obducta fuiſſe, obſervata fuerint, quod teſtatur ſagaciſſimus Cimeliarcha Aſmoleanus Luidius Epiſtol. 4. p. 115. Ichnographiæ ſuæ: Unde ſalva tamen diſſentientium autoritate non ſolum colligimus, eos unicos, & ſolos, qui ſeſe modo deſcripta ratione ex utrâque parte cuſpidatos præbent ut ex Tab. 1. fig. 1. apparet, pro integris agnoſcendos eſſe, reliquos verò omnes ſive cylindraceæ ſive conicæ vel denique depreſſæ ſint figuræ, pro confractis, attritis, imo pro fragmentis cenſendos, ſed etiam matrices ſic dictas pro belemnitarum locô natali nunquam habendas eſſe. Et licet nos Belemnitas lapidibus ut matrici incluſos recenſuerimus, neutiquam eô ipſo ſtatuere voluimus eos inibi generari, vel produci, ſed tantum ex communi opinione aſſeruimus ſæpe Belemnitas jam antea à naturâ productos & perfectos, cum in viſceribus terræ laterent, accidentaliter maſſæ lapideæ incluſos fuiſſe, atque in eâ ut aliquô carcere hæſiſſe, ex quô tamen facili negotio liberari poſſint. Præprimis autem ideò matrices eis aſſignavimus, ut differentia eorum, qui ab ejusmodi ergaſtulo liberi ſunt & ſeparatim colliguntur, eò melius intelligi poſſit.

§. 6.

Dactylos quos vocant *Idæos* ex plurimorum Autorum ſententiâ, pro Belemnitis cylindracei ſpecie, vel ut rectius loquar pro fragmentis Belemnitarum fluctibus vel aëris tempeſtate læ-

vigatis habemus. Qui verò pro Dactylis Idæis à quibusdam venditantur, ad cancri caudæ ſimilem lapidem à Geſnero deſcriptum, vel potius ad inſecti cujusdam petrificati fragmentum referimus, quod infra clarius demonſtrabitur. Ut autem Belemnitæ quædam ſpecies Dactyli Idæi nomine inſigniretur, Plinio lib. 37. c. 10. occaſionem dedit externa quam quidam Belemnitæ oſtendunt forma, quâ digiti humani ſeu pollicis magnitudinem & ſimilitudinem oſtentat. Quanquam Geſnerus ab Ida Cretæ monte ita appellatum fuiſſe perhibuit, cui ſententiæ num quispiam ſubſcribere velit, in libertate ejus poſitum erit. Interea tamen certum eſt magnam confuſionem ortam eſſe ex diverſa hujus lapidis appellatione, atque adhuc hodienum oriri; huic ut ſubveniamus, breviſſimis præcipuas Belemnitæ Synonymias evolvemus. Dicitur *Belemnites* à ſagittæ quæ Græcis βέλεμνον dicitur, forma, quam cuſpide & acuminata ſua extremitate refert. *Lyncis lapis* ſeu *Lyncurius* autem dicitur, quia nonnullis perſuaſum fuit eum ex urina lyncis fieri, aut ideò quod Lyncurio lapidi pretioſo, quem ſuccinum eſſe credebant, ex colore Falerno & attractione palearum, quàm ſimillimum eſſe judicabant. *Coracias* autem ſeu *Corvinus lapis* Germ. Raben vel Rappenſtein/ is, qui ſeſe peculiari quâdam nigredine præ aliis commendabat. *Ceraunitæ* nomine venit iis, qui ex nubibus cadere autumabant, qua de cauſa etiam Germanicè Straalſtein/ Donnerſtein/ Donnerkeul efferebatur. Qui autem germanico idiomate Alpſchoß vocabant vel Schoßſtein / hi ab ephialte & ſagitta appellationes traducebant, exiſtimantes, lapidem ejusmodi quôcunque modô potûm, contra hujusmodi ſuppreſſiones valere, ac inprimis faſcinationibus occurrere poſſe: à ſimilitudine verò teli, quod Schoß vocamus, derivabant, quod ad vulnera & plevritidem prodeſſe conjiciebant, conf. Boët. l. 2. c. 260. item Geſnerus de fig. lap. p. 92. verſa. Præterea de Belemnita Pruſſico ſcripſerunt de Laët libro de gemm. & lapid. l. 2. c. 23. Kentmannus p. 34. Nomencl. foſſ. Geſnerus loco ſæpe citato & alii.

§. 7.

§. 7.

Eſt & alius lapis Belemnitæ ſimilis figuræ conicæ, ex materiâ albida margaceâ ſatis dura conſtans, ſabuloſa cruſta obductus. Alii quoque ejusdem farinæ teretes, uncialis, ſeſtantalis imo quadrantalis longitudinis, tam ſeparatim quàm calcario lapidi incluſi ad littora colliguntur. Quibus tamen longè majores ſunt *lapides figuræ conicæ*, extra materia lapidea coti vulgari ſeu aquariæ ſimili, ad thaleri craſſitiem in circuitu obducti, intus verò ex materia fuſcocinerea ſatis durâ compacti, acutangulum, plurimi verò obtuſangulum, alii rotundam, alii depreſſam, nonnulli perfectam, quidam imperfectam figuram oſtendentes, à ruſticis pro cuneis fulminaribus habiti. Copioſi ſunt auf den Harſiſchen und Roggiſchen Feldern in Parochia Angerburgenſi. Hic quoque *Stalagmitis* ſeu *Stalactitis* hoc eſt ſtillaticii lapidis Germ. Walſtein vel Tropfſtein mentio inſerenda eſſet, ejus ſcilicet qui figurâ oblongâ & in modum ſtiriæ producitur: verùm cum ob defectum cryptarum apud nos non generatur, reliquas ſpecies ex materia coralloidea concretas, ſuô loco pertractabimus.

§. 8.

Mathematicis figuris, in ſpecie *Aſtroites* hactenus apud nos inventos ſequenti ordine annumerare placet. Primus eſt *Aſtroites* ſtellis prominentibus, foraminibus apertis, Scheuchzero in Specimine minoribus ſtellis dictus fig. 52. quorum unus ad littus Ekersbergenſe, alter ad Kehlenſe inventus; ad Aſtroitem prominulum Luidii num. 171. uterque accedens, figuras oſtendit Tab. 1. fig. 2. & 3. Datur quoque & tertius, ſcilicet Aſtroites minimus itidem à Scheuchzero l. c. deſcriptus. Colliguntur adhuc alii ſtellati lapilli, qui non ſolùm in ſummâ ſuperficie ſtellarum veſtigia repræſentant, & ſtellulis pentagonis exactiſſimè externè figurantur, ut ex Tab. 1. fig. 4. patet; ſed etiam to-

tum lapillum permeant & interiores ejus partes transeunt, inter quos nonnulli vix lentis magnitudinem præ se ferunt. Qui tamen nihil aliud sunt, quàm articuli entrochorum, seu trochi ipsi, qui ita nonnunquam separati, soluti & singulatim ad littora reperiuntur, conferri poterit Luidius num. 1234. quos nos quoque Tab. 1. fig. 5. 6. 7. expressimus. Hic locandum puto lapillum, cujus lineæ à centrô ad peripheriam arte quasi Mathematicâ ductæ apparent, porpiti Luidii nummulari seu complanatæ propemodum figuræ simillimum, cujus iconem dedit Luidius Tab. 3. num. 151. nos autem figura 8. Tab. 1. lapidi alii adhuc inclusum exposuimus, ex quô tamen jam exemptum asservamus. Non multum dissimilis modo dicto est lapillus *Astroitæ cognatus* cujus superficies paulo convexa est, striis à medio versus peripheriam nunc rectis nunc obliquis & arcuatim excurrentibus, sulcata, quem Tab. 1. Bajer. in Oryctogr. n. 15. expressit. Si autem dicendum quod res est, Entrochorum quoque rudimentum esse censemus, id quod ex lapidibus matrices Entrochorum referentibus non obscurè conjicitur, in quorum superficie quidem ejusmodi stellares figuræ porpiti nummulari æmulæ apparent, quæ tamen profundius lapidi inclusæ hærent, & pluribus Trochitis unitæ Entrochum perfectum efformant. *Entrochos* & *Trochos* autem specialiter quod attinet, hi ut à modo dictis ita à se invicem non nisi ut pars à toto differunt, plurima enim horum specimina & speciatim seu lamellis singularibus, trochorum nomine insignita ut ex Tab. 1. fig. 5. 6. 7. patet, & ex pluribus Trochitis seu rotulis, in corpore cylindraceo unita, sub Entrochorum appellatione in nostris littoribus leguntur, juxta Tab. 1. fig. 9. 10. & 11. Omnes & singuli orbiculares perforati, plerumque colore albi, materiâ selenitici, magnitudine variantes, à foramine ad peripheriam striati; Matrices in quibus hærent, sunt saxeæ substantiæ durissimæ, in quibus copiosè coarctatæ & compactæ sunt, crassitie & magnitudine differentes, ita ut inter eos quædam specimina

exilia

exilia & minutula ut vix fili craſſitiem adæquent, appareant. vid. Tab. 1. fig. 12. Quos lapides Luidius ad corallia foſſilia reduxit, atque ſatis graphicè num. 98. Tab. 3. exaravit: ſub quorum titulo nobis quoque fuſius de hiſce agendi ſubminiſtrabitur occaſio. Ad Entrochos quoque ſpectat *Volvola* quæ juxta Luidium Entrocho congener eſt, & figuræ plane cylindraceæ. Ab Entrocho non differt, niſi quod rotularum inviſibiles ſint commiſſuræ, & plerumque unâ inſigni ſtria notata, quæ in Entrochis innumeræ apparent, in Ichnogr. num. 1162. Ad quos etiam pertinet *lapis durus rotundus*, ab unô latere, ſuperficie ſtellata, multis lineis ex uno centro ductis, aliis nimirum integris, aliis decurtatis, aliis fere deletis ornatus, ab alterô verò materiâ lapideâ cindreâ obductus, quemadmodum ex Tab. 1. fig. 13. patet. Videtur cum lapide Kentmanni in Nom. p. 36. pag. verſa num. 10. ſi non idem, ad minimum tamen ei æqualis eſſe. *Orbita rotularis* hîc Tab. 1. fig. 14. exhibetur, quæ in medio foraminoſa cavitate impreſſa eſt, ex alterâ verò parte ſtellata apparet.

§. 9.

Lapides literatos hîc quoque annectimus. Jacuit diu lapis durior ex ſaxorum genere, literis manifeſtis & prominulis I. C. W. ſemipedalis longitudinis inſignitus, in cœmiterio noſtro; qui quoniam noſtri Conſulis nomen, literis initialibus indigitabat, à me ei donatus fuit. Verum per incendium Angerburgenſe, ſimul cum hujus Viri ædibus conſumtus eſt. Ad lacus Steinorthenſis littora quoque lapis infuſcus inventus, qui per literas E. A. G. V. L. & alter G. E. V. L. nomina Illuſtriſſimorum Comitum à *Lehndorff*, ſcilicet natu minoris Ernſt Ahasverus Graf von Lehndorff / & natu majoris Gerhard Ernſt von Lehndorff / exactè referebant; Quos Illuſtriſſimus Comes major natu Chiliarchæ officio in Haſſiâ fungens, Celſiſſimo dictæ Provinciæ Principi oſtendendos ſibi aſſervavit. Non minus curioſum

rioſum naturæ figurantis opus nobis ob oculos ponit, lapis præterlapſo anno ad Nobile prædium Reſavienſe in Parochia Engelſteinenſi ſitum, in littore lacus alluentis inventus, in quô nomen Generoſiſſimi Poſſeſſoris modo dicti prædii, literis initialibus (ſi Germanicè exprimere velis) L V R LUDEWIG von RAUTER / juſta diſtantia à ſe invicem diſſitis, iisque extantibus, & in eâ lapidis parte quæ colore ab alio lapide diſtingvitur, & quaſi ſeparata apparet, prominulis, tam exactè & ſignanter exhibetur, ut ſingulari induſtriâ ſcalptoris exaratum fuiſſe videatur: ubi quoque maximè notatu dignum videtur, quod inter primam & ſecundam literas, lunæ falcatæ phaſis cum ſuis corniculis & circuli reliquâ parte apparente juſta proportione appareat. Reliquæ lapidis partes pectunculis, trochis & entrochis lapidi immerſis repletæ conſpiciuntur. A dextris ramus vegetabilis cujusdam expreſſus eſt, in luculentum teſtimonium, quod tam Regnum vegetabile, quam animale & minerale veſtigia ſua in eo reliquerint. Icon accurato penicillô à Generoſiſſimi Domini Poſſeſſoris Filio ſpei atque expectationis pleno, Juvene non minus ingenii elegantia, quam morum & doctrinæ induſtria excellenti adumbrata, tabula verò ſumptibus modò dicti maximi Patroni inciſa ejusque juſſu noſtræ Lithographiæ Tab. XI. num. 1. inſerta fuit. Cui adjungendus & alter buccinitis, conchis, pectunculis & corallii punctati fragmentis refertus, in quo literæ Latinæ A. O. S. itidem prominentes, à ſe invicem diſtinctæ & ſat manifeſtæ, non aliter ac ſi exſculptæ eſſent, apparent, quem itidem Tab. XI. num. 2. repræſentat. Quæ verò de modò dictô lapide, excellentia doctrinæ & rerum naturalium Perſpicaciſſimi & Clariſſimi Domini Conſiliarii Kortholtii, Medicinæ Doctoris & Sereniſſimi Principis in Curlandia quondam Archiatri meritisſimi fuerit ſententia, ex ejusdem ad me exaratis luculenter poterit eſſe manifeſtum: Mitto hic R. D. V. aliud lacus noſtri Reſavienſis & ejus ingenioſitatis ſpecimen. Non dubito, quin hoc eandem conciliaturum ſi

ſit apud orbem eruditum, quàm quod præmiſi; & videtur certè res eſſe deliberatione & ulteriore examine digna, cur unô in locô naturæ ſolertia magis induſtria, & rationi propinqua inveniri malit, quam in alterô. Eſt & reperitur quidem in omnibus ex materia productis, admirandi aliquid, ſi aſpicias figurarum varietatem, ſi colorem, ſi pondus in materia, cujusmodi triunum vinculum in cunctis corporibus contemplari licet. Sed iſta quæ hic reperitur elegantia, & quaſi edocta facilitas, admodum rara eſt. Si quis in Anglia prope Harwich ad littus Oceani contemplationem lithographiæ naturalis habere voluerit, inveniet ibi abunde in quô expleat curioſitatem & ſpeculationem ſuam. Reperi ego ibi Anno 1696. pene ad milliaris unius diſtantiam, & fortaſſis ulterius iſta curioſitas ſe extendet, lapidum numerum ingentem; nam totum illud ſpatium, ſicut alia littora arenam, loco iſtius petrefacta corpora, parva, magna, monſtrat in maxima quantitate & abundantia. Non potui differentiam, quam proclivis ad generandum ancilla Summi ibi miniſtrat, ſatis admirari. Nam licet omnes ex luto certo pingvi, quod agitatione maris, rotundam iſtam, quam præ ſe ferebat, figuram edidicerat, eſſent fabricati, diverſitates tamen coloris, magnitudinis, conſiſtentiæ, mixturæ erant infinitæ. Aliqui perfectiſſimam duritiem acquiſiverant, & nihil erat quod ipſos non aſſimilabat, illis lapidibus qui in plateis Londinenſibus inveniuntur, quidam autem primum incipiebant indureſcere, & quorundam pingvedo erat tam mollis, ut digitorum veſtigia, quando inprimebantur relinqueret. Cum ventus eſſet contrarius, & navis illa poſtis dicata, quam Pacquetboot vocant, nondum abiret, animi gratiâ pluribus characteres pro lubitu inſculpſi, & mecum cogitavi, ſi poſt certum tempus ad duritiem deſtinatam venerint lapides iſti characteriſati, mirabuntur iſtas effigies, qui forte invenient & non credent arte factas. Et miratus ſum quod nemo ex Anglis tam fuiſſet curioſus, ſculptori perito cum ſuis inſtrumentis occupationem dando in his locis,

in quibus ſatis ad exercitationem artis, materiæ. Nam in limo molli elegantiſſimas & quas voluiſſet, potuiſſet effingere figuras, ex lapide hoc embrione, qui acus etiam admittebat cuſpides. Nam quos mecum ferebam, illis acus infixæ tam firmiter poſt. 12. horarum ſpatium inhærebant, ut ſine ruptura avellicari non poſſent: Obſervavi etiam à ſiccitate ſolis & ſoli limum iſtum in quibusdam ſuæ genituræ ſpeciebus ſciſſuras parvas, & in majoribus majores accepiſſe, & poſtea ſalis quandam effloreſcentiam cum liquore lapideſcente mixtam, locum & rimaturam expleviſſe, unde marmoris mire variegantis ſpecies in pluribus reperiebatur, quam contemplationem eruditis iſtius loci relinquo, & ut obſervent, pro publici boni emolumento quam cupidiſſimè exopto. Cum primum ad oculos veniret lapis Reſavienſis, in mentem venit mihi, ſi non etiam hoc in loco aliqua curioſa manus ingenium huic limo addiderit. Sed cum literatorum, inter tot brutos, lapidum copia tanta, & nulla unquam reperta in his locis tam curioſa manus ſit, & induſtria talis cauſam & finem nullum ullo modo indigitare poſſit, ipſa etiam literarum veſtigia ſatis indicent ingenium, ſed non humanum, nulla amplius dubitatio mihi relicta eſt, quin hermaphroditici aliquid & mixti ex ſapienti & naturali ſolertia hic indagare cupido naturæ mira ſua in lucem producendi, voluerit. Quid Luna creſcens velit, quid oſtreæ, quid ſiderum figuræ, res eſt, quæ ingenioſis anſam præbet, ut ſe exerceant & ingenium ſuum. Cochlearum genus & oſtrearum de regno animali, minerali & vegetabili unô tempore partem ſuam habet. Etiam hic mixti & hermaphroditici aliquid. Solet hoc creati genus ſæpe numero ingenium ſuum monſtrare. Quis ſcit qualia & cujusmodi ulterioris ſcientiæ elementaris arcana & eorum prognoſtica, induſtria naturæ, hic in ſuis incunabulis oſtendere velit, & annon aliquid magis ſolidi ex his in poſterum debeamus augurari. H. I.

Quæ

Quæ vero noſtra de literis L. V. R. in modo dicto lapide reperiundis ſit ſententia, propediem peculiari diſſertatione ex Principiis Phyſicis oſtendere allaborabimus. Interea addimus quoque antea propoſitis lapidibus, varios lapides literis figuratos, inter quos unus ſpondâ crucis diſtinctè inſignitus: Geſnerus de figuris lapidum notat, Annebergæ Alabandicum lapidem formam crucis habuiſſe, & ut accuratius philoſophari videretur, addit, hunc lapidem formam potius quam imaginem crucis habuiſſe pag. 4. l. ſæpe cit. (b) Alius adhuc nuper inventus, qui expreſſè literam W. eminentem monſtrabat, & calcarius, in quô Græcum V. inſcriptum fuit, cum aliis compluribus, Alphabeti literas, numeros & id genus alia repræſentantibus. Inprimis autem notatu dignus eſt lapis Inſignia quædam referens. Conſtat hic lineis craſſioribus parallelè exaratis, quæ aliis ſubtilioribus, partim tranſverſim, partim decuſſatim poſitis, reticulatam & quaſi cancellatam lapidi profundius impreſſam figuram conſtituit, materiâ à ſaxô, in quô hæret, nullatenus diversâ.

CAPUT VI.

De Lapidibus res naturales repræſentantibus.

CLASSIS I.

Ex Regnô Vegetabili, cujus

Sectio I.

Lapideos fructus & Semina exhibet.

1. EX quampluribus, qui vegetabilia æmulantur, prima quæ conſiderationem noſtram ingreditur eſt *Nux Moſchata* lapidea. Figura hujus rotunda, extra per cruſtam rugoſa, aſpera & quaſi figurationibus ſcolopendritis ſignata, intus ex materia lutea

constans. Totâ effigie suâ & colore nucem myristicam ex asse repræsentans. Videmus jam dudum tam à Wormio in Museo, quàm recenter à Scheuchzero in Lithogr. p. 42. descriptam fuisse; Wendium quoque ejus mentionem injecisse, in Naturæ pictricis specimine Thoruniensi. Cui associari poterit *Nux Avellana petrificata*, in qua putamen umbilicatum, idque læve cum commissuris suis tenaciter sibi adhærentibus sat luculenter exhibetur. In agrô arenosô prope templum Kuttense eruta.

2. *Lapis Judaicus* jam sequitur, antea ex Judæa ad nos allatus, unde etiam nomen habet, nunc verò Prussiæ quoque indigena. Observavit eum jam Clarissimus Wendius, sicuti in Nat. pictr. specimine Thorunii edito testatur, eumque ad Vistulæ ripas legit. Nunc quoque Angerburgum sibi de hocce lapide medicamentoso gratulari potest. Colligitur varia forma, inprimis qui glans vel glandarius, ob externam formam, quam cum glande communem habet, dici solet, per superficiem lineis & sulcis copiosis signatus. Occurrit variis in locis, plerumque ad littora Kehlensia, ubi lacus sese in sinum versus Angerburgum exonerat, invenitur, vid. Tab. 1. fig. 15.

3. Ad Amygdaloidem accedunt lapides hujus generis fructui similes. Intus constant ex materiâ siliculosa, crusta autem exterior gypsea est, & quasi Saccharo incrustata. Descripsit hunc lapidem de Laët. lib. 2. c. 28. p. 175. Gesnero vocatur siliculus Amygdaliformis, & lapis Amygdali ossi persimilis p. 126. Iconem dedit Mylius cum descriptione in Saxon. Subterr. part. 1. Relat. 5. p. 34.

4. Lapis niger, lævis fabæ parvæ persimilis, ad littus Steinorthense repertus.

5. Lapis cinereus semina frumenti nigra includens Tab. 1. fig. 16. ostenditur: Cui non absimilis lapis semina melonum & cucumeris cum intermixtis turbinitulis, iisque exstantibus & prominentibus, referens: Accedere videntur ad eos, quos Imperat. in H. N. p. 748. & Langius in Hist. Lap. figur.

Helvet

Helvet. Tab. 18. p. 69. deſcripſerunt. Apud nos ad littora obvii ſunt.

6. *Hammites* ſeu *Ammites* vel *Ammonites* (indifferens eſt ſive addatur ſive omittatur aſpiratio) lapis eſt ex arena concretus, & ovis piſcium ſimilis, juxta deſcriptionem Plinii l. 37. H. N. cap. 10. intus habet materiam lapideam, ſed friabilem. Et quemadmodum ova piſcium alia aliis ſunt majora, ita quoque apud Autores variant Ammitarum appellationes. Majorem nominant *Piſolithum* ſive *Orobiam* Germ. Erbsſtein / qui nimirum ex globuloſis lapillis ervi vel piſi magnitudine eſt compoſitus, cujus figura Tab. 1. fig. 17. expreſſa. Ad minores referunt *Cenchritem*, Germ. Hirſenſtein / lapidem ut plurimum ſubluteum, ita dictum, quod ejus grana cum ſeminibus mylii & magnitudine & colore exactè conveniant, qualem deſcripſit Langius l. c. p. 67. & 68. Tab. 18. & noſtra Tab. 1. fig. 18. Deinde etiam *Meconitem* papaveris ſemina exprimentem juxta Tab. 1. fig. 19. Quas ſpecies omnes in arenoſis & inprimis ad littora pulcherrimè efformatas colligimus. Sed redeo ad *Ammitem*, cujus quam plurima ſpecimina prope pagum Kehl minera Martis imprægnata reperimus, quæ ad imitationem Scheuchzeri in Specim. Lithogr. Helvet. p. 42. *Hammitas ferreos*, jure meritòque appellandos eſſe, cenſemus. Quibus annumeramus *Hammitæ* peculiare exemplar, figura & ſtructurâ compagini & coagmentationi ovis piſcium ita ſimile, ut & oculatis imponere valeat. vid. Tab. 1. fig. 20. De cætero de Hammite Pruſſico & ſpeciatim Angerburgicô, in locô qui hortus Roſarum (Germ. Roſengarten) duobus milliaribus à nobis diſtante, reperiundo, jam ſcripſerunt Geſner. de fig. lap. p. 73. & de Laët. l. 2. c. 21. p. 147.

Sectio 2da.

Plantas, Fungos, folia, ligna & radices offert.

1. Plantas nobis alios lapides exhibuisse non memini præter lapidem ex saxorum genere, planum sestantalis latitudinis, *Herbam Herniariæ* cum cauliculis, foliolis & vasculis seminalibus, singulis quasi virentibus & eminentibus, mirificè figuratum. Qui natales itidem littori nostro debet. Iconem ostendit Tab. 1. fig. 21.

2. In horum censum revocandi lapides fungos lapideos imitantes, alias fungitæ dicti. Quorum primus *fungites porosus*, hujus nominis fungo similis, eine in Stein verwandelte Morchel. Parvus hic fungus quidem est, verùm genuino fungo poroso in omnibus æqualis vid. Tab. 2. fig. 1. Secundus fungum Lœselii XVIImum exprimens, Germ. Rohtkopff / dictum; hic insidet lapidi durissimo, ut radici, inter strues lapidum in campo Kehlensi inventus Tab. 2. fig. 2. Tertius est curiosissimum opus naturæ, imitamentis vegetabilium annumerandus. Scilicet lapis fungum Clusii XVI. generis, sive Augusti mensis Johannis & Casp. Bauhini, primo intuitu repræsentans: verum accuratius observatus non fungum, utpote cujus caulem crassitie excedit, referens, sed artocreas parvum, eine kleine Pastete/ mentiens. Cui adeo similis, ut & lynceis imponere posset oculis. Habet enim crustam superiore parte protuberantem, colore, figura, paulum tamen in marginem trigonum expansa, artocreati prorsus similem. Margines fimbriatos, & quidem tam concinne, ut singulari industria cupedinarii id factum fuisse quis crederet. Nec caret fundo, satis proportionato, latiusculo & fimbria quadam emarginato, in cujus medio visitur adhærens excrescentia quædam, radici truncatæ vel avulsæ non absimilis, qua firmius terræ affixa succum lapidificum suxisse, & incrementum egisse, sibi quis imaginari possit. Con-

stat

ſtat materiâ quoad ſuperficiem friabili, intus verò ſaxoſa & dura. Et quoniam tam fungi, quàm artocreatis formam ſimul repræſentat, *Mycetartocreitis* nomine efferendum jure meritòque duximus. Repertus eſt à Domeſtico meô die 15. Novembr. anni 1714. terræ firmæ adhærens. Tab. 2. fig. 3.

3. Folia arborum non ſolùm exprimuntur in Tophaceis lapidibus, ſed etiam iisdem plane includuntur, de quibus cap. 3. §. 2. mentio facta, prout ex alba & nigrâ materiâ conflatos nonnullos poſſideo, qui mediante ſucco petroſo ita coagmentati ſunt, ut ab invicem divelli nequeant. Tab. 2. fig. 4. conf. Mylii Saxon. Subterran. part. 1. p. 69. Præter hos Tab. 2. fig. 5. offertur ramulus truncatus ut opinor filicis folia referens, maſſæ lapideæ albæ incluſus.

4. Lithoxyla ſeu ligna in lapidem indurata ſæpe noſtratibus obvia ſunt. *Elatitem* ſeu fruſtum ligni abiegni, iconi Geſnerianæ p. 125. delineatæ æquale, à Reverendo Domino Paſtore Milcenſi, Fabiano Hammio, oblatum aſſervo. Tab. 2. fig. 6. expreſſum. In Scabinatu Zabinenſi in pago Widgern præterlapſo anno inter arandum ſub montium tegmine repertum & vomere erutum fuit, quantum ex ſtructura colligere licuit, dentale lapideum, quô terram ſubigere ſolent. Quod inſtrumenti genus, veteres Agricolæ quidem è quercu conficere ſolebant, ut Heſiodus docet:

Temonem ex Ulmo, viridi ſeu confice lauro,
Stiva ſit ex pino, dura dentalia quercu.

Noſtrates autem ruſtici, quercino lignô deſtituti, vel ex betula, vel ex oſtrya efformant. Ex ejusmodi *oſtrya* quoque hoc lignum impetritum ſubſtantiam primitus traxiſſe, ſufficienter ſtriæ, impreſſiones ramulorum, excreſcentiæ, imo cortex, demonſtant. Longitudo ejus eſt ſeſquipedalis, quæ tamen antea longior exiſtens, jam fractione decurtata apparet: Ex eodem ligno in pago Harſen occatorii clavi in lapidem indurati non ſemel in agro inventi dicuntur, quos imprudentes ruſtici,

neſcio

nescio quorsum, ut rem nullius pretii, abjecerunt. Quemadmodum etiam non raro à figulis ex argillofodinis hujus ligni frusta eruuntur. Neque novi quid ejusmodi petrificatio est, jam enim Cordus in Wirtenbergensi Svevia p. 219. versa, in Sylva variarum observationum, & Gesnerus juxta Francofurtum ad Mœnum in durissimam siliceamque cotem carpini frustum versum, se vidisse affirmant. Gesn. l. c. p. 130. Quæ autem de *Fragini* & *Fraxini* ligni induratione Wormius in Museo, & recenter Joh. Georg. Liebknecht, Mathem. Prof. P. Ord. Giess. peculiari tractatu de ligni in mineram ferri mutati metamorphosi doctè annotarunt, fusius ibidem perspicere licebit. *Quernum* quoque *lignum* è flumine prope molendinum Zabinen extractum nuper mihi missum fuit, colore nigrum, totum in lapidem induratum: cujus tamen una extremitas aliquid substantiæ ligneæ nondum pene petrificatæ præ se ferebat. Ut jam prætercam integras quercus ex nostro flumine Angerap extrahi, nigredine plane inductas, & indurationi lapideæ proximas, quod quoque de fluvio die Schwente prope Georgenburgum Memelam illabente asserit Doctissimus Büttnerus in diluvii testibus §. 119. p. 187. circa finem.

5. *Stelechitem* non unum ostendere possumus, effigie stipitis truncati, cum rudimentis ramorum, in lapide albô & cinereo, colore quandoque nigricante per longitudinem striato, qualis depictus Tab. 2. fig. 7. Quanquam alii radici Raphani Rusticani truncatæ æmuli: plurimorum autem radices, caudicibus mutilatis apparent, quos pro petrificatis rarioribus habeo. Tab. 2. fig. 8. Verùm cum à Gesnero inter Osteolitha vel Osteocollas vel Enosteos recensetur, quæ inter hos & illum differentia intercedat, de Osteocolla sectione proximè sequenti acturi, ostendemus.

Sectio 3tia.

Osteocollæ generationem examinat.

Osteocollæ Germ. Steinmarck / Beinbruch dictæ, quam Luidius Classe XI. num. 1519. sub nomine cartilaginis, Germanico vocabulo Steinbruch addito, inter Xylostea, pertractavit, historiam & generationem mons arenosus Rafalka, aliàs non admodum excelsus, prope Wilkassen in districtu Lœcensi in lacum Leventinum sese præcipitans, nobis nuper detexit. Situs hic est versus Orientalem plagam, totus pinis humilibus altitudinem viri vix exæquantibus, refertus. Pinetum in eô quondam densius fuisse ex eô facilè conjicitur, quod vestigia validorum truncorum, & inprimis radicum totum tractum montanum permeantium, quam copiosissimè ibidem videantur, nunc iterum paulatim revirescentium. Non sine causa radicum in hoc monte superstitum, hic mentio facienda venit, sed ideò, quia eis unis & solis tota structura osteocollæ adscribenda erit. Observavimus enim Margam, quâ totus hic mons sabulosus scatet, quamque partim venis inclusam recondit, partim etiam sabulo mistam ostendit, radices pineas prima vegetatione sibi infixas & innatas, jam autem excisis arboribus emarcidas factas & fere exsiccatas, luto suô margaceo, imbrium beneficio emollito & diluto, initio tenuiter oblinire, atque exsiccatione materiæ oblimatæ per aëris calorem alternantem insecuta crusta quadam obducere, deinde toties totiesque repetito affluxu liquidi margacei, iterum per vices indurare & magis magisque augmentare. Et quoniam arenæ è latere montis avulsæ & in littora delabentes, fluctuum impetu quotidie ita elui observantur, ut in radice & fundamento suo mons plane exesus ruinosos suos parietes sustinere non valeat, sed dejicere cogatur, quæ tunc celeriter delapsæ in aquas subsident, causa est, quod radices modò dictæ, margacea materiâ jam aliquantenus vesti-

tæ, ab arenâ denudatæ & liberæ promineant, & in altum erectis ſuis ſurculis, mirabilem ſtructuram, cancellis non abſimilem, & mox rectis, mox obliquis, hic divaricatis, ibi decuſſatim poſitis, & mox paulum incurvatis, varièque inclinatis, mox ab aëris injuriâ concuſſis, confractis & diſſipatis figurationibus ſuis, exhibeant, ut in Tab. 3tia repræſentatur. Ubi tamen notandum, quod in recenter detectis oſteocollæ ſtructuris, non admodum tenaciter maſſa margacea adhæreat, ſed tum demum de die in diem firmior reddatur & dureſcat, quando arena margacea è vertice montis turbine ſublata, iis aſſociatur, adhæret & quaſi agglutinatur, atque eô ipſo craſſiores efficit: quod toties evenit, quoties oſteocolla antequam arena aſpergatur, humiditate aëris irrorata vel pluvia madefacta atque emollita fuerit. Sed objiceret quis dicendo: Quomodo oſteocollæ ejusmodi generatio adſcribi poterit, quæ ei figuras ex formis radicum, arborum picearum tribuit? Quot ſpecimina oſteocollæ oſtenduntur, in quibus nunquam radicum corruptarum vel petrefactarum reliquiæ vel veſtigia apparent? Ut taceam probatiſſimos Phyſicos unanimiter affirmare, oſteocollam non à radicum ſed oſſium figura, quam refert, ita dici, atque ideo ὀςείτȣ vel Amoſtei, compoſita ab arena & oſſe dictione, aptius appellari, idque non aliam ob cauſam, quam ut oſtendatur, oſteocollam peculiarem quendam generationis modum, oſſibus foſſilibus ſimilem ſibi venditare, imo pro meris oſſibus potius habendam eſſe: neque aliter produci quàm vegetatione per arenam forma corallii facta, quæ interdum brachii craſſitiem excedit, ac dum primum erumpit è terra friabilem eſſe, tandemque paulatim indureſcere: aut ut alii ſtatuere non erubeſcunt, in Marchionatu Brandenburgenſi plantæ inſtar excreſcere mirabili modo. Primum quidem initiô veris pullulare è terrâ quaſi exiguam braſſicam capitatam, foliis cinereis & ſubnigris, deinde expanſis quaſi foliolis ad terram (nam vix caput hoc è terra prorumpit) reperiri in meditullio medullam, ſeu pulverem

rem quendam facilè in liquorem ſolubilem. Tum effodi "
plantam ejusque ramos reperiri oſſeos, pulvere iſto ad oſſa "
paucis diebus glutinanda, fœcundos, ſunt ipſiſſima verba Boë- "
tii de Boot lib. 2. c. 234. p. 418. Cui opinioni ſuffragari vi- "
detur Muſeum Wormianum lib. 1. Sect. 2. c. 6. & plures alii. Verùm nullatenus obſervationem noſtram hac objectione infringi poſſe vel ex eô demonſtramus, quod pauca quædam ſpecimina in noſtro hôcce obſervatorio montano, oculis noſtris ſeſe ſubjecerint, quæ non radices, vel adhuc integras, vel dimidiatas, carie & putredine exeſas, vel plane corruptas, oſteocollæ vel incluſas vel adhærentes oſtenderent. Et licet quædam fruſta ab hôc charactere libera & vacua viſa fuerint, nullatenus tamen geneſi noſtræ evertendæ ſufficere, nedum contradicentium opinionibus patrocinari poterunt, re enim ad examen devoluta compertum eſt, quod ſpatia per radicum corruptionem vacua facta, mox iterum adimpleta & reſarcita fuerint, ſimulac margæ fluidioris materia eis advecta, vel ventorum vehementia cum arena inſperſa fuerit, ubi facillimo negotio ſemel jam recepta & mechanico coalitu induta diſpoſitio, perfectam & rotundatam figuram induere potuit. Ad oculum hoc oſtendunt in copia aſſervata exemplaria radicibus vel impleta, vel margaceâ materiâ ſuccenturiata & ſuffecta, & quod reticendum non eſt, vetuſtis pineis corticibus ab utrâque parte, firmiſſimè & craſſitie ſat notabili ſuperinducta, à quibus nec levi manu ſeparari, nec vi avelli absque metu totalis ruinæ hactenus potuit. Quæ omnia ſufficienter demonſtrant radicibus ſolis oſteocollam figuram ſuam debere. Quod autem ab Etymologia & ſimilitudine oſſium vel arenæ deſumptum argumentum attinet, hôc ipſo oſteocollam ad oſſium petrificatorum Claſſem pertinere, nunquam evincitur, ſub judice enim adhuc lis eſt, quid Autores oſteitæ appellatione intellexerint, num oſteocollam, num verò Enoſtei vel alterius lapidis ſubſtantiam & materiam? quod in tanta confuſione opinionum ritè diſtingvere &

dijudicare impoſſibile. Sed quicquid ejus rei ſit, fuerit licet mens veterum & intentio ſub Synonymia, Oſteolithi, Amoſtei vel Oſteitæ aliarumque appellationum, hanc noſtram Oſteocollam deſcribere, & generationem ejus plantarum ad inſtar Etymologico hoc argumento ſtabilire : nondum tamen exinde apparebit tanti ponderis hoc argumentum eſſe, quo ſententia noſtra labefactari queat : non enim difficile nobis erit Etymologiæ aliam Etymologiam opponere, qua noſtra ſententia confirmari poterit : nam quoniam oſteocolla ϛελεχοειδῶς h. e. truncorum forma cum rudimentis ramorum naſcitur, unde etiam ϛελεχίτης appellari meretur ; hinc quilibet facilè intelligere poterit hanc Etymologiam Oſteocollæ ejusque circa radices in generando obſervatæ affinitati magis favere, quàm quæ ab oſſium ſimilitudine deduci ſolet. Ut autem innoteſcat, quid Autores moverit, Oſteocollam ab oſſibus derivare ? ſciendum eſt, eos ad effectum quem in ſanandis oſſium fracturis demonſtrare ſolet, reſpectum habuiſſe, ideòque lapidem Oſſiſanum, Oſſifragum vel Oſteolithum nominâſſe : non tam, ut dictum eſt, ob externam vel internam, quam habent cum oſſibus conformitatem, ſed potius ob inhærentem virtutem, quam in oſſibus cito glutinandis & materia calloſa inſtaurandis, ſuppeditat. Præterea quod corallii vel plantæ forma in Germaniâ vel Marchia mirabiliter excreſcere perhibetur, hoc, cum viris tantæ autoritatis contradicere vereamur, in medio relinquimus, & mirari potius quam aſſentiri volumus, conſiderantes nos non Marchicæ ſed Pruſſicæ oſteocollæ geneſin autopſiâ edocti in præſentiarum exponere voluiſſe. Retineant itaque, quibus placet, ſuam ſententiam, ſimulque Oſteocollam pro ligno petrificato, vel oſſibus in lapidem mutatis venditent, nos iis aſſentiri non poſſumus, cum neque ſtructuram neque medullam, levitatem, pectines, corticem, fibras, ramos alioſque characteres vegetabilium vel animalium individuos in ea conſpiciamus ; ſed conſtanter licet centum reclamantibus aſſerere non dubitamus,

mus, Osteocollam in radicibus & corticibus arborum picearum formari & effigiari, certâ spe freti fore, mox plures circumstantias de hoc fossili orbi curioso manifestatum iri. Favent demonstrationi nostræ quæ Imperatus scripsit: *Osteocolla radix est mutata in lapidem cœmentitium* (intellige per adhæsionem & agglutinationem margæ) *mollem, substantiæque sabulosæ Medicis Germanis ad consolidandum ossa confracta in usu* l. 24. c. 26. Cui quoque robur addit celeberrimus Friedericus Hoffmannus, Pater, in Clave Schrœderiana, de Unicornu Fossili, atque aliis animalium ossibus è terra erutis verba faciens: *Alii,* inquit, *materiam hujus simpliciter margam credunt, aqua lapidescente irrigatam atque fluidam redditam, quæ pro diversitate matricum in quas fluit, vel pro diversitate aliarum rerum quibus sese insinuat, varias suscipit figuras* p. 190. Præter montem Rasalka osteocollam quoque non procul à pago Prekuls in via, qua versus Memelam itur, observavimus, & quidem in tanta copia, ut onerandis plaustris sufficere possit: verùm quoniam ibidem in plano hæret, structuram ejusmodi erectam non ostendit, præterea neque tam lævis & laudabilis est, quam Lœcensis, sed crassior & sabulosior existit, tantæque est duritiei, ut non facilè in liquore solvatur. De Osteocolla scripsit alias Thomas Erestus Professor Heidelbergensis commentarium doctissimum, eamque lapidem sabulosum nominavit; itemque Leonh. Dav. Herman. in Maslographia Part. 2. lib. 2. ubi eruditè in nostram sententiam disseruit; qui cum his, quæ modo dicta sunt, ulterius conferri poterunt.

Sectio 4ta.

Corallia fossilia recenset.

Jam corallia fossilia sub incudem revocanda veniunt. Quæ juxta Excellentissimi & Doctissimi D. Georg. Eberhard Rumphii, Viri seculorum memoria digni tractatum Indianische

Raport dictum p. 107. Muſ. Muſeorum Valentini annexum, non minus quam corallia marina in lignoſa & lapidoſa, ſive ut curioſiſſimo Naturæ Scrutatori Büttnero in Coralliographia Subterranea c. 2. p. 11. exprimere placuit, in dendrica & petricoſa dividuntur. Verùm cum in noſtro diſtrictu lignoſa & dendrica non tam copioſa hucuſque viſa, ſed ut plurimum lapidoſa ſeu petricoſa oras noſtras inhabitent, igitur hæc præcipuum hujus Sectionis Objectum conſtituent. Non hic præciſè inhærebimus ordini à celeberrimis Phyſicis, in diſpeſcendis coralliorum foſſilium ſpeciebus obſervato. Sed prout nobis ſpecimina à primô excurſionis noſtræ puncto, ad hunc uſque diem benigna mater elargita eſt, ita quoque ea diſponere & recenſere allaborabimus, fundamenti loco deſcriptiones Luidianas & Büttnerianas poſituri, ad easque noſtra corallia accommodaturi. Erit autem

1. *Lapis corneus* ſeu ſaxum cornutum Geſn. de fig. lap. p. 15. Silex verus Imperato H. N. p. 777. aliàs ſilex vulgaris, communis, vel Pyrites culinaris, Germ. Kiesling / Horn-oder Feuerſtein/ ita dictus, quod vel duritie vel colore cornu referat, vel quod ex colliſione chalybis ignis facilè ex eô eliciatur. Refertur ad corallia, quoniam ſolertisſima modo laudati Coralliographi collatione, inter corallia marina & fosſilia inſtituta, non tantum externa ſtructura, ſed etiam aliis proprietatibus evidentisſimè ad corallia accedere deprehenſus eſt. Quod jam Geſnerum, ſed per nubem quaſi, vidiſſe legimus, cum lapidem hunc cornutum ramoſum dixit, eumque coralliis aſſimilandum putavit. l. c. Species ejus quod attinet, variantibus coloribus diſtingvuntur: Dantur enim albidi, flaveſcentes, rubentes, fuſci, cærulaſcentes & nigricantes; coloris crocei, rutili, cornei, cinerei & jecorini, præterea nonnulli albis zonis & circulis diſtincti: quoad ſtructuram ſunt trunciformes, ramoſi, reticulati, corniculati, oblongi, lati, teretes, canaliculati & tubuloſi, alii gypſea, alii cretaceâ materia obducti, alii recti, alii variè in-

clinati

clinati & tortiles. Impreſſiones varia animalia eorumque partes referentes, hactenus in hoc corallii genere apud nos conſpicere non contigit, præter Echinitas nonnullos in ejus ſubſtantiam induratos, pectunculos, & unicum ramulum Echininum lapidi corneo incluſum, corallina albedine conſpicuum, quos ſi quis in copia videre cupit, adeat quæſo modo dictam Coralliographiam, quæ deſideratis illius ita ſatisfaciet, ut abſque ſingulari animi delectatione ea conſiderare non potuerit. Videbit enim proprietates coralliorum marinorum ad foſſiles accuratiſſimè applicatas, & quod palmarium, mollem hunc lapidem quondam fuiſſe, ex vegetabili quôdam Tabula 3. fig. 1. exhibito colliget: quod licet Autor. l. c. non nominaverit, nil tamen aliud eſſe quam quercum marinam, aliàs ad maris Baltici littora in ſilicibus ſæpe obviam L. B. indubitato ſibi perſuadere poterit.

2. Corallium foſſile cortice reticulato obductum Scheuchz. fig. 17. ſeu corallium album punctatum rugoſum, aliquando tamen læve, furcatum & ramoſum ut in Tab. 4. fig. 1. 2. & 3. oſtenditur. Conf. Corall. B. T. 1. n. 8.

3. Reteporæ ſeu Eſcharæ marinæ ſimilis, exprimitur Tab. 4. fig. 4. vid. Scheuchzer. in ſpecim. fig. 16.

4. Tubullaria hexagonis plerumque tubulis frequentibus interſepimentis diſtinctis, petrefacta Tab. 4. fig. 5.

5. Tubularia pentagona, in quâ tenuiſſimi tubuli interſepimentis albidis ſegregantur. Tab. 4. fig. 6.

6. Millepora Imperati, ſeu Corallium foſſile tubulis lumbricorum ad inſtar craſſis, ramoſis, & tam in ſuperiore quam inferiore parte prominentibus, extremitatibus ſtellatis & ſuccô petrificante imprægnatis & clauſis pugni magnitudine ad lacum Kehlenſem invenitur & Tab. 4. fig. 7. exhibetur.

7. Tubularia alia foſſilis manifeſtè tubuloſa, tubulis ad certam profunditatem excavatis, in omnibus Scheuchzerianæ in Lithogr. f. 50. ſimilis, præter ſtellularum intus exhibitarum veſtigia. T. 4. f. 8.

8. Tubularia coralloidea tubulis minoribus, tribus ordinibus fistulosis distincta, cujus fistulæ omnes & singulæ succô petricoso ita farctæ sunt, ut in superficie quasi protuberare videantur. ad Büttn. in Corall. Tab. 1. num. 3. delineatum quàm proximè accedens. Tab. nostra 4. fig. 9.

9. Tubulariæ Coralloideæ purpureæ Imperati seu Halcyonio Milesio, licet non colore tamen effigie similis vide Imper. H. N. p. 812. & Tab. nostr. 4. fig. 10.

10. Madreporæ Imperati similis Tab. 4. fig. 11. Confer. Luid. fig. 104.

11. Madrepora compressa punctata fossilis Tab. 4. fig. 12. exhibetur.

12. Madrepora placentiformis Büttn. Tab. 2. num. 9. fistulis tenuissimis succô petricosô impletis vid. Tab. 4. fig. 13.

13. Massa lapidea ex ramulis corallinis punctatis tam rectis quam inclinatis sæpe etiam ramosis constans, & ad instar vermiculorum uncialis longitudinis, crassitie lumbricis junioribus simili sibi invicem stipatis. conf. Tab. 4. fig. 14. Hujus specimina nonnulla quoniam ramulos stellatos in extremitate ostendunt, ad Milleporam referenda esse reor. Sicuti rarissimum ejus specimen Tab. 11. num. 5. exhibetur.

14. Alia ejusdem farinæ, in qua ramuli corallini partim punctati, partim porosi, partim pectunculi instar striati, nonnulli denique depressi apparent. Tab. 4. fig. 15. conf. Büttn. Corall. T. 4. n. 1.

15. Frustum corallii dendrici lividi & albi coloris, fibris non rectis sed paulum inclinatis atque arctissimè compactis constans, quorum densa constipatio in extremitate in catenulam effigiatur. Tab. 5. fig. 1. Hujus quam plurimæ varietates sese offerunt, tenuioribus & crassioribus striis conspicuæ. Inprimis notabile fragmentum hujus generis lapidis spadicei coloris, cujus interscpimenta totum lapidem permeantia inordinatis ductibus albis, iisque omnibus catenulæ subtilissimæ in

modum

modum articulatis, tam in basi quàm in superficie quadam tortuositate gyrantur.

16. Corallii fistulosi specimina fluctuum interluentium iterata vi exesa & strigis ac profundis sulcis exarata, quæ expansione sua, in corallium in Büttn. Tab. 2. fig. 8. expressum figurantur.

17. Huic simile occurrit corallium ramosum, Luidii Astropodio ramoso vulgari, seu stellæ fossili arboreæ virgulto simile, cujus iconem vide inter Luidianas num. 1132. (b) in Tab. vero nostra XI. num. 4.

18. Massa corallina, quæ sparsim minutis eminentiis fistulosis turget, quas inter circelli & ductus quidam albedine corallina conspiciuntur, totumque lapidem permeant. Tab. 5. fig. 2.

19. Ad corallia fistulosa quoque referimus lapidem totum ex subtilibus tubulis fistulosis densissimè constipatum, fistulis quidem succô petricoso farctis, quondam verò, ut conjicitur, porosis, ideòque non incongruè poris Imperati associandum, quibus substantiam coralliis propinquam solâ porositate à coralliis differentem H. N. l. 27. c. 3. adscribit. Maximè curiosum est hoc fossile, expandit enim in circuitu per totam superficiem propagines suas fistulosas, quas è medietate lapidis ut è centrô suo in longitudinem excurrentibus lineis ad extremitatem ducit, & externam faciem circellis albis in medio quasi acu punctatis figuratur. Quod de omnibus coralliis punctatis pro individuo charactere agnoscit Joh. Bauhinus inquiens: *Quorum superficies punctata est, meatus habent, quos rami à centro à filo medio constituto ad ambitum educti intercipiunt.* Hist. Plant. Univers. Tom. 3. l. 39. c. 24. p. m. 795. Offert nobis ager noster & littora hoc fossile pugni, sæpe etiam capitis humani magnitudine, speciminis loco portiunculam ejus expressimus Tab. 5. fig. 3.

20. Tubulariæ coralloidis ex fiſtulis collateralibus compoſitæ ſpecimen Tab. 5. fig. 4.

21. Lapis in cujus ſuperficie inordinati ductus albi; vermium petrificatorum materia corallinorum exponuntur. Tab. 6. f. 11.

22. Corallii dendrici generis particula ſtructuræ ſubtilis, in extremitate faciem ſtellatam exhibens. Tab. 5. fig. 5. Simillima eſt Büttn. Tab. 1. fig. 14. exhibitæ.

23. Fruſtum corallinum in quo variæ expresſiones ductus & fiſtulæ repræſentantur, quibus catenula accuratè articulata implicatur. Tab. 5. fig. 6. conf. Tab. 6. fig. 1.

24. Lapis in quo vegetatio corallina ex fiſtuloſis excreſcentiis cavis, iisque ſurſum prominentibus apertiſſimè cognoſcitur. Tab. 5. fig. 7.

25. Lapis corallii nigri figuris vegetabili cuidam non diſſimilibus, ex utrâque parte indiſtinctè effigiatus Tab. 5. f. 8. conf. T. 6. f. 3.

26. Columellus turbinatus major, ſupernâ facie excavatus & radiis coralliis propriis ſtellatus eſt. Tab. 5. fig. 9. Conf. Büttn. Corall. T. 2. f. 19.

27. Columellus turbinatus minor Luidii n. 134. ſeu calyx coralliorum Langii, ad littora cum plurimis fragmentis obvius. vid. T. 5. f. 10.

28. Columellus turbinatus minimus. Tab. 5. fig. 11.

29. Columellorum plurium congeries in lapide depreſſo ut in matrice hærentes. Tab. 5. fig. 12.

30. Columellus ſtriatus ſeu Bryoniæ radix lapidea ſimplex. Tab. 5. fig. 13.

31. Columellus ſtriatus ſeu Bryoniæ radix ſpeciminibus duplicatis cohærens & in craſſiore parte gypſea materia pelli ovinæ cum omnibus ſignaturis quam ſimillima, tecta Tab. 5. fig. 14.

32. Columelli majoris turbinati materia durioris ſpecimen;

men, ſive potius fragmentum, integrum enim reperiri nondum contigit; ſubtiliſſimè in longum ſtriatum, faſciatum & in extremitate latius expanſa ſtellatum. Tab. 5. fig. 15.

33. Ejusdem ſpecimen duplicatum. T. 5. fig. 16.

34. Ejusdem columelli ſpecimen proliferum Tab. 5. fig. 17.

35. Corallium foſſile craſſius ſtriatum. T. 5. f. 18.

36. Ejusdem ſpecimen ovalis fere figuræ Tab. 5. f. 19.

37. Corallii faſciati, & in ſuperficie in longum ſtriati ſpecimina, inter Columellum & Hippurim ambigentia, ut vult Büttn. in Corall. T. 2. n. 10. Icones oſtendit T. 5. f. 20. & 21.

38. Ramulus corallinus ſtriatus, gyris nonnullis cinctus, cæteroquin geniculatus, in quô avulſio radicalis à matrice, in baſi ſat manifeſta apparet. Tab. 6. fig. 10.

39. Corallium albidum ſuperficie figuris aſtriformibus propemodum obliteratis, quæ exterſio aquarum fluctibus adſcribenda eſt. Alias Echinometræ Scheuchz. fig. 85. ſimile. In littoralibus. Figuram offert Tab. 5. fig. 22.

40. Lapis albidus catenulâ corallinâ tam pulchrè articulata, quaſi aurifabri manu fabricata fuiſſet, circumvolutus Tab. 6. fig. 1. conf. Tab. 5. fig. 6.

41. Matrix coralliorum, in qua corallinæ fiſtulæ denſè muſci inſtar ſtipatæ ſunt, & circumcirca eminere deprehenduntur. Inter quæ trochi & entrochi lapidi incluſi conſpiciuntur. Tab. 6. fig. 2.

42. Lapis divaricationes ramoſas vegetabilis cujusdam oſtendens, colore albo Tab. 6. fig. 3. conf. Tab. 5. fig. 8.

43. Corallium externè fiſtuloſum intus cancellatum Büttneri Tab. 1. num. 12. 13. expreſſum, noſtra verò Tab. 6. fig. 4. repræſentatum, falſò à nonnullis pro gypſo ſpumoſo venditatum, copioſè ad littora conſpicuum.

44. Corallii craſſioris ſtriati fragmentum, cujus ſtriæ ita manifeſtæ ſunt, ut fiſtuloſis coralliis aptisſimè asſimilentur. Tab. 6. fig. 5.

45. Stalagmites coralloides seu Pseudocorallium Luidii num. 65. Hoc fossile plurifariam coagulatum apparet, scilicet ramulosum, excavatum, truncatum, vermicosum, colore albo, cinereo & rubiginoso varians, cujus specimina Tab. 6. fig. 12. 13. 14. 15. & 16. ob oculos ponit.

46. Stalagmites coralloides egestula ovina referens, basi qua saxis adhærebat avulsa. Tab. 6. fig. 6. conf. Luid. num. 64. Licet hic lapis Class. 2dæ Sect. 2dæ inserendus esset, tamen ob materiæ convenientiam hic locatus est.

47. Frustum massæ corallinæ album sat validum, in quô cavitas quædam visitur, cujus parietes branchiarum ritu occupantur, & pulcherrimô ordine fungi instar tenuissimè lamellati sunt, ad Branchiale Luidii num. 115. referendum.

48. Massa lapidea in quâ confractorum coralliorum internæ partes profundius sulcatæ & simul transversalibus striis exaratæ conspiciuntur. Tab. 6. fig. 8.

49. His annumerare placet corallium porosum in latum & sinuosum ambitum fungiformem expansum, quod Tab. 6. fig. 9. exhibet, & aliud intus materiâ cretacea impletum, extra locô striarum tuberculis punctulatis sine ordine positis conspicuum. Tab. 6. fig. 7. exaratum. Reliqui lapides corallinæ substantiæ quoniam animalium figuras signantius repræsentant, suô loco memorabuntur.

CLASSIS II.
Ex Regno Animali, cujus
Sectio I.
Lapides, effigies humani corporis & membrorum referentes, considerat.

1. Cum

1. CUm homo creaturarum præſtantisſima ſit; hinc primo loco lapides effigies humanas & ejus membra referentes, hôc capite recenſendi erunt, quos deinde quadrupedum, volatilium & aliorum ſequentur. Quorum agmen ducit lapillus in latus dextrum verſus, qui tamen Tab. 7. fig. 1. incuria ſculptoris verſus ſiniſtram locatus apparet, ſtaturam fœmellæ ſedentis pallio involutæ, facie ſatis concinna & proportionatè protuberante, referens, cui equidem oculi, ora & naſus ad juvandam arte naturam adumbrati, verùm caput mundo muliebri, ad formam recentioris modi ita comptè adaptatum, ut nil deſiderari videatur.

2. Alter in latus ſiniſtrum verſus, verùm itidem ab inconſiderato ſculptore dextrum verſus propoſitus, ut Tab. 7. fig. 2. monſtrat, ſtaturam ſenecionis ſedentis, calvi & barbati, cui oculorum, naſi & oris veſtigia à natura impreſſa ſunt, repræſentans, uterque ex materiâ corallinâ conſtans.

3. Tertius Tab. 7. fig. 3. truncum vittatum fœminei corporis referens: quem ex materiâ coralloidea conſtare & ad ſtalagmitas propriè pertinere, ex eô opinamur, quod ex meris quaſi guttis lapideis compoſitus ſit. Non incomptè caput muliebre in vertice & à latere protuberans repræſentat, in quo anterior quidem pars quâ faciem truncata eſt vel detrita, verùm verſus poſteriorem partem, vitta capillorum receptaculo ſtudio quaſi adaptata, & ligamentô quôdam contracta apparet, infra caput collare de collo pendens concinnè efformatum & quaſi margaritis & monilibus ornatum conſpicitur. Annotavit ejusmodi truncatas figuras humani corporis jam Joh. Bauhinus in Pyrite lib. de lapid. p. 37. & 39.

4. Quartus eſt lapis planus cinereus qui virilem ſtatuam mediæ fere ſtructuræ in lapide prominentem, facie integra cum oculis, naſo, barbâ longiori exactè refert, ut Tab. 7.

fig. 4. oſtenditur. Caput mitra Epiſcopali ſimili tectum, thorax armilla & faſciis pectoralibus ornatum eſt. Ad littora Kehlenſia cum præcedentibus inventus. Teſtatur Olaus M. in lit-
„ toralibus Oſtrogothorum i. e. Orientalium, freti Broviken di-
„ cti, inter varias littoralium ſaxorum figuras quasdam quaſi
„ humanâ arte ſculptas, vel politas reperiri, quasdam formam
„ capitis humani, manuum, pedum & digitorum referre; non
„ tantum integro corpore compaginatos, ſed diſtinctione na-
„ turæ taliter expolitos l. 2. Hiſt. Sept. c. 28. p. 84.

5. Quintus faciem humanam cum neceſſariis lineamentis & ſignaturis referens, Anthropomorphus Joh. Bauhino dictus l. c. p. 37. Anthropomorphis lapidibus non immerito aſſociamus lapidem cinereum, longitudine quadrantem, latitudine verò ſeſtantem cum ſemiſſe, craſſitie autem vix digitum exæquantem, qui mirifica ſua effiguratione truncum humani corporis repræſentat, in quo caput inter humeros eminens, faciem cum lineamentis & partibus ſingulis accuratè exprimit: frons moderatæ magnitudinis eſt, congruens corpori & vultui, cæteroquin inæqualis & erugata: Capillorum vicem præſtant figurationes quædam ipſius lapidis mox protuberantes, mox depreſſæ, capiti circumvolutæ, quæ ſimul mitræ vel tegumenti cujusdam rationem referunt. Supercilia elevata ſunt, oculi cum pupillis paulo prominentibus, aperti, in quibus palpebrarum notæ non negliguntur: inter quæ naſus mediocriter longus, circa foramina latus & apertus apparet, extremitate in acutiem vergente. Genæ paulo demiſſæ, labia oris aperturæ efformandæ ſat apta. Mentum rotundatum & barba refertum, cujus tamen extremitas compreſſior in acutiem recurvam deſinit: Reliqua lapidis ſtructura pallii vicem præſtat, quod variis plicaturis ſuis iisque ſinuatis inflectitur, & truncatam effigiem quaſi involvit. In thorace nonnullæ figuræ teſtaceorum reliquias repræſentantes viſuntur, quas inter Aſtroites figura ſua ovali ſtellam radiis refertam oſtendit, pectusque quaſi appenſis inſi-

gnibu

gnibus alicujus equeſtris ordinis exornat, cui reſpondet alia ſtella radiata humero dextro inhærens, lapidem pretioſum metallo incluſum referens: Icon Tab. XI. num. 3. oſtenditur. Conferri poterunt quæ Mylius in Saxon. Subterran. part. I. Relat. 10. in lapide ſciſſili cum icone exhibuit, ſcilicet effigiem capitis virilis comâ adulterinâ ornati, pag. 74.

6. Nec ſicco pede prætereundi lapides mammei, mammoſo lapidi Ulyſſis Aldrovandi in Muſeo Metallico lib. 4. p. 769. exhibito, in omnibus præter colorem quàm ſimillimi, qui cum ſtalagmite mammillari Luidii concordare videntur. Ichnogr. num. 60. Itemque lapis papillaris θηλοειδής h. e. papillæ ſimilis à Geſnero dictus, libro de fig. lap. p. 157.

7. Colitæ leguntur binis & quandoque triplicibus teſticulis æquales, quos Kentmannus in fluminibus formari putat, in Nomencl. rer. foſſ. p. 33. vel ad Enorchides vel Triorchides reducendi. In Specie Colites glandem virilem cum appenſis teſtibus integris ad littora inventus ex meris guttis lapideis, corallinis compactus, qui quandoque etiam ſine teſtibus occurrit. Figuras graphicè exararunt Langius in Hiſt. lap. fig. Helv. Tab. 10. p. 46. & Joh. Bauh. lib. de lap. Qui poſterior Pyritæ Phalloidis nomine icones expreſſit. p. 40. 41. & 42. Noſtrum T. 7. f. 6. offert.

8. Lapides variolatos quod attinet, horum copia apud nos proſtat, quorum unum refert Tab. 7. fig. 7. Cæteroquin variant coloribus, offerunt ſeſe nigricantes, fuſcis & viridibus tuberculis conſpicui, nonnulli cinerei, ut plurimum autem nigri, exaſperati, cum Aldrovandi facilè comparandi. Icones expreſſi in Muſeo Valentini Muſeorum lib. 1. c. 19. p. 51.

9. *Enoſteos.* Nondum ſibi conſtant Autores de hujus lapidis natura & conſtitutione, alii namque ad Stelechitem, alii ad Oſteocollam, nonnulli ad Unicornu foſſile & id genus alia revocant; Verùm non aliter quam ſola figurâ à Stelechite differre, conſtans noſtra eſt ſententia, quænam verò Stelechitæ & Oſteocollæ

Osteocollæ sit ratio, jam hoc capite, classe præcedente, Sectione 3. dictum est. Interea Enosteos seu lapis ossis humani effigiem repræsentans ad littora der Mawer-See sæpe obvius est, quos speciatim recensere supervacaneum duximus. Videri poterunt, quæ Gesnerus de eo observavit l. c. p. 152.

Sectio 2da.

Quæ ad reliquorum animalium & insectorum historiam pertinent, proponit.

1. Ex animalium Classe sese offerunt plurima cornua quadrupedum, inprimis cervorum, alcium, ceratitæ nomine à Gesnero proposita, quæ iisdem cum præcedentibus locis copiosè colliguntur, & ob strias, medullam & alia κριτήρια satis manifesta, ex petrificatorum genere esse deprehenduntur. Cujus generis etiam cornu bovinum petrificatum in Steinorth inventum, esse apparet. Merentur hic legi quæ Caspar Bartholinus tractatu suo de Unicornu c. 9. p. 41. & sequentibus disseruit, quæ singula Luidius inter Xylostea Classe XI. recensuit; sicuti etiam idem conferri poterit quæ in Epist. p. 126. annotavit. Nec rara sunt ossa varii generis petrificata, quæ procellis in littora Kehlensia è lacu, ex opposita Insula Steinorthensi efferuntur.

2. Nec negligenda sunt saxa Paulswaldensia (qui pagus uno milliari ab urbe nostra distat) in quibus vestigia varia, ut plantæ pedis puerilis, alcium, boum, caprarum & caprearum exactè & profundè expressa, observantur. Ad quorum classem quoque revocandum venit, saxum in agro pagi klein Strengeln in Parochia Kuttensi delitescens, magnitudinem lapidis molæ versatilis æquans, vestigia non solùm ovium, sed etiam hominis mediæ staturæ, cum virga pastoria pro fulcro adhibenda, sat signanter impressa, ostendens. Quæ licet aliquadantenus tempori

injuri

injuria detrita & imbribus exesa appareant, sat manifestè tamen & plantam pedis humani & scipionis reliquias proponunt. Quod ex relatione Pl. Reverendi Pastoris Kuttensis, Domini Pauli Bernhardi Drigalsky, hic inserere placuit.

3. *Linguam animalis* cujusdam ex quadrupedum genere, qui referat lapis, minimè prætereundus: utpote quam ita exactè exprimit, ut non solum juxta radicem spissior seu ad basin latior sit, sed etiam inflexionibus suis hîc incurvatis, ibi protuberantibus in extremitatem mucronatam desinat, marginibus aliquantisper striatis, materia corallinâ, vid. Tab. 7. fig. 8. littoris Kehlensis munus. Longè tamen est alius lapis, qui aliàs Buglossus appellatur, & à Johanne de Laët descriptus est, lib. 2. cap. 5. p. 106.

4. *Glossopetras* Germ. Stein-Zungen proposituri, anxiè inquirere nostri inpræsentiarum non est propositi, cujusnam propriè animalis, num serpentis, num avis, num piscis cujusdam lingvas vel dentes referant: illud tamen sicco pede præterire non possumus, eas serpentum lingvas neutiquam repræsentare, cum lingvæ serpentum non triquetræ, sed teretes & bifidæ sint, ideo potius dentes animalium marinorum sive canis carchariæ seu lamiæ aut lupi aquatici apud nos copiosi, utpote cum quibus structurâ & figurâ exactè conveniunt & eapropter potius *Odontopetras* Germ. Stein-Zähne efferendas esse censemus, quemadmodum hoc non solum Langius in Hist. Helvetica, M. Joh. Reuskius Comment. de Glossopetris Lünenburg. c. 2. §. 4. p. 7. it. c. 5. p. 28., sed etiam Luidius demonstratum dederunt, qui posterior in Lithophylacio suo Britannicô hujusmodi dentes in *incisores* & *molares* divisit, & per incisores dentes magis acuminatos intellexit, quos *Ichtyodontes cuspidatos* dixit: per molares verò magis obtusos, quos *Ichtyodontes scutellatos* appellavit; Videantur horum ipsissima verba in Langii Hist. Lap. p. 49. Tab. 10. Item in Luid. Lithoph. Class. 10. c. 20. Prussicas quod attinet *Glosso-* vel *Odontopetras*, quarum mentionem nuper injecerunt Miscella-

nea Berolinensia ex Doctiss. Speneri relatione p. 102. & Reuskius de Glossopetr. Lüneburg. c. 5. §. 7. p. 26. dudum quoque recensuit Kentmannus Nomencl. rerum foss. p. 31. sequenti videbimus serie.

(a) *Glossopetram Prussicam cineream*, lingvæ pici avis similem Tab. 7. fig. 9. itemque paulo minorem Tab. XI. num. 9. à Luidio Ornithoglossum sessile vulgare, Glossopetram minorem seu Ophioglossum petræum dictam num. 1266. p. 64.

(b) *Glossopetram cineream Lingvæ* Reguli similem Kentmanni ex Prussia, in littore Resaviensi inventam Tab. XI. num. 10. exaratam, ubi tamen notandum quod Resaviensis Bidentula appareat.

(c) *Glossopetram nigram* è Prussia Kentm. primæ præter colorem simillimam.

(d) *Glossopetram latius mucronatam*, sed radice privatam ad Luid. num. 1267. accedentem Tab. nostra 7. fig. 10. expressam.

(e) *Glossopetram recurvirostram*, seu Ornithoglossum recurvirostrum minimum Luidii num. 1268. Tab. nostr. XI. num. 6.

(f) *Ornithoglossum* minus sinuosum Luid. num. 1271. nob. Tab. XI. num. 7.

(g) *Glossopetram* dentato margine, maxillam decem dentibus acuminatis, arctè sibi invicem junctis albedine à reliquâ lapidis materia differentibus, exhibentem, basi lapidea innitentem. Glossopetris crenatis seu serrellis Luidii num. 1275. & 1276. annumerandam. vid. Tab. nostr. XI. num. 8. Quorum specimina ad littora lacus Steinorthensis & Kehlensis reperta possideo. Verum cum præter recensitas, plures adhuc tempus detexit, addimus his

(h) *Odontopetram* scutellatam seu lapidem denti molari æmulum, tantæ magnitudinis, ut nisi ante petrificatio-

nem

nem Giganteum fuiſſe conjicerem, inter dentes tam audacter non recenſerem. Eſtque verſus radicem detruncatus, altera parte magis dilatatus, & in extremitate anterioris partis ſtriis quibusdam dentium more exaratus, materia ejus videtur eſſe Pſeudocorallina ; erutus eſt ex arena littorali ad lacum Mawer Tab. 7. fig. 11.

(i) *Odontopetram ſcutellatam*, ſeu dentem molarem petrifactum, quaternis ſulcis & tribus ſtriis profundis diſtinctum, ſeu ſerratum & pectinatim coeuntem, radicibus itidem paulum fractis oſtendere poſſumus, eumque non alium quam humanum fuiſſe ex ſtructura conjicimus vid. Tab. 7. fig. 15. Neque novi Tibi quidpiam L. B. propoſuiſſe putes, jam enim Geſnerus ſimiles vidit, audi mirabundus verba illius : *Dentes quoque foſſiles inveniuntur alicubi, ſive ex cadaveribus animalium quorundam, ſive ſponte naturæ orti ; Dentem in lapidem verſum Aldrovandus Bononiæ ſervat.* Et poſt pauca : *Dentem in lapidem verſum, vel lapidem odontitem i. e. dentiformem in icone oſtendit parum tamen convenienti.* l. c. p. 156. & 157.

(k) *Odontopetras* ſeu Ichtyodontes cuſpidatos corallinæ & pſeudocorallinæ materiæ, licet rarius, quoque obſervamus. Quos inter unus ſe offert ex aſſe dentem è rictu lupino exertum & in lapidem converſum referens, qui parte convexa in transverſum, ſeſſili autem & plana in longum ſtriatus eſt, radice omni ex parte integra ſervata, quem vide Tab. 7. fig. 13. Reliqui ſunt latiores & plani, alii rotundiores in cuſpidem abeuntes, aliqui tamen ſolum in fragmentis conſiſtentes, ut opinor ad plectronitas Luidii referendi vid. Tab. 7. fig. 12. 15. & 16. Non ſine admiratione leguntur, quæ Viri fide digni de Antro Baumanniano recenſent, quod ſcilicet non tantum ea, quæ hoc capite & claſſe propoſita ſunt, ſed etiam plura alia in tanta perfectione & abundantia conſpician-

tur, ut quaſi manu artificis ſculpta & polita eſſe videantur. Quæ deſcribens Doctiſſimus Fürerus carmine Elegiaco ita cecinit:

Bubula credideris, vel demta cadaveri equino,
Ne loquar humanis effigiata modis.
Vertebras, ſcapulas, craniorum fragmina, coſtas,
Maxillas, dentes, articulosque pedum.
Cornuaque inſolitæ noſtro ſub ſole figuræ
(Naturæ mirum eſt, uſque adeo ingenium)

vid. Hercyniam curioſam D. Georgii Henningii Behrens cap. 1. de ſpecu Baumannicâ p. 33. Itemque memorabilia Saxon. Subter. Mylii ſparſim. It. Caſp. Bruſchii Redivivi Deſcriptionem Germanicam Montis Piniferi Anno 1683. editam. Quibus probè conſideratis ſat dilucidè pronunciâſſe concludimus Athanaſium Kircherum: Nullum fere animantis genus, nullum corporis humani membrum ſupereſſe, quod in lapidibus natura non expreſſerit. Mund. Subt. l. 8. c. 2. & 3.

5. His accenſeri poſſunt varii lapides indiſtinctis figuris conſpicui, & inprimis lapis in capſulam rotundatus, *Nidum Veſparium* referens, ſupra medietatem circulis eisque altius ſemper diminutis & in ſummitate circello magnitudine piſi, impreſſione excavata, conſpicuô, ex altera parte autem itidem convexa, in extremitate in concavum foramen côntractus, coloris cinerei, materia calcaria. Tab. 7. fig. 17. effigiatus.

6. Porro lapis cineraceus, *Scarabæum in nido quaſi deliteſcentem* oſtendens Tab. 7. fig. 18. proponitur: Num ad eum, qui Cantharias à Boëtio l. 2. c. 299. p. 528. nominatur, & à Wendio in Naturæ pictricis ſpecimine exuviis ſcarabæi annumeratur, pertineat, videant alii.

7. Vetuſto *favo ſimilem* unicum poſſideo, quem ad tubalitas referendum putaſſem, niſi tota ſtructura cum cellularum & examinis fœtu, conſtans & incorrupta ſervata, aliud ſvaſiſſet. vid. Tab. 7. fig. 19. Teſtantur namque Autores fide digni,

tales

tales lapides dari : Mylius in Saxon. Subterr. part. 1. Relat. 9. p. 69. ſcribit : *E Livonia ſibi ut rem rariſſimam inter alia miſſam fuiſſe capſulam mellis ſylveſtris, quam ſpiritus lapidificus penetraverat* : Et Wormius in Muſeo, lapidem favum ab apibus conflatum referentem recenſet ; ibique magnitudinem ejus deſcribit. Quod jam Livonia noſtris regionibus contermina, aliaque loca reſpectu hujus petrificati experta, hoc quoque noſtro diſtrictui facilè evenire potuiſſe ex eô conjicimus, quod in eô magna copia apes ſylveſtres in cavernis terræ, inter ſegetes, in pratis & ſub arborum radicibus favos ſuos condunt & mellificant, qui temporis tractu ſpiritu lapidificante imprægnati, faviginoſam ſuam formam tam perfectam retinent, ut primo intuitu quis juraret, verum favum eſſe ex nigricante cera formatum ; quod tamen mox lapideam ſuam ſubſtantiam accuratius perſpectum prodit. Hîc occaſione data recordor apum marinarum, quæ juxta relationem Gvilielmi Piſonis in Hiſt. Nat. Ind. lib. 4. c. 2. p. m. 113. circa Parnambucenſia littora in mari mellificare & nidificare perhibentur. Scilicet extrahunt ſæpe piſcatores uncis ſuis ſpongioſam arbuſculam inuſitatæ formæ, ſeſquiped. longitudinis, brevioribus radicibus lapideis nitentem vadis & rupibus infixam, quæ in corpus ſpongioſum, molle, oblongum, rotundum & turbinatum erigitur : intus miris cancellis & alveis fabricatum : extus autem tenaci glutine, inſtar apum propolis, undique veſtitum, oſtio ſatis patulo, & profundo in ſummitate relicto. Ita ut apiaria marina verè dixeris. Primô enim intuitu à mari ad terram delata, vermiculis ſcatent cœruleis parvis, qui mox à calore ſolis in muſcas vel apes potius, easque exiguas & nigras, transformantur, circumvolitanteſque evaneſcunt : ita ut de earum mellificatione nihil certi conſpici datum fuerit, cum tamenceroſa materia, propolis, apumque cellæ manifeſtè apparerent. Atque ipſa mellis qualiscunque ſubſtantia procul dubio urinatoribus patebit, ubi curioſius inquiſiverint hæc apiaria, eaque in natali ſolo & ſalo diverſis tempo-

ribus penitius lustraverint. Num autem ad nostrum favo similem lapidem, apes quædam vel in fundo lacus, vel in arundinetis, quicquam laboris contulerint, præsertim cum apes aquarias, Naturalium rerum & Insectorum Prussicorum Indagator solertissimus Jo. de Colas omnium Facultatum D. meritissimus, in Prussia animadvertisse perhibeatur, experientia rerum optima magistra de die in diem docebit.

8. Inter alios littoreos nostros lapides, non raro quoque obvia est *massa arenaria*, aquatilium quorundam vermium nidulis tubulata, quam notavit Luid. num. 179. l. c. Fragile hæc admodum habet corpus ex mera arena & minutissimis lapillis compactum: tam nidum quam ipsum vermiculum Tab. 7. fig. 20. exhibet.

9. *Ovulis* quoque aspersum *lapidem* tam in durissimo saxo, quam in friabili luteo, pallido lapidis fragmento, littus nostrum nobis exhibuit: cujus ova semini papaveris æmula, luteopallida, partim integra, partim aperta & exclusioni propinqua apparent, nonnullis in superficie fere detritis & deletis. Sicuti jam corruptioni ovulorum, superficiem aëri & injuriis tempestatum expositam, occasionem dedisse suspicamur, ita è contrario eorum conservationi præsidium tulisse partem aversam & cavitate quâdam præditam, in quâ pulchro ordine prominula & densissimè stipata apparent. vid. Tab. 7. fig. 21. Convenit hoc fossile quodammodo tam cum Scheuchzeriano in specimine Lithogr. fig. 14. p. 12. 13. expresso, quam cum Büttneriano in diluvii testibus §. 146. 147. p. 244. & seqq. considerato. Conferri quoque poterit Bajer. in Oryct. p. 67.

10. Fragmentum lapidis cinerei, in quô sceleton *piscis* cujusdam cum spina dorsi expressum, in quo adhucdum aliquid de substantia piscis, glutinis instar, sed in lapidem induratum hæret. Tab. 7. fig. 22.

11. Dudum jam *lapis* nomine *caudæ cancri*, vel potius Astaci fluviatilis ex littoralibus oris nostris innotuit, ex alveolis

lis ternis, quaternis, quinis nonnunquam longè pluribus, iisque mox tenuioribus, mox craſſioribus ſibi invicem inarticulatis, compoſitus. Quos Geſnerus pollicis articulum latitudine & craſſitie æquare, & zonis quinis transverſis, iisque modicè incurvatis & per latera inflexis, aſcendere, in extremitate tuberculum rotunditate prominula, cui in parte oppoſita cavitas reſpondeat, oſtendere perhibet, ſimulque icones tres ex quibus utrumque latus cognoſci poteſt, exhibet, l. c. p. 167. Verùm quid propriè de hoc lapide ſentiendum ſit, & quousque experientia nos perduxerit, reticere non poſſumus. Aperuit nobis ad indagationem hujus lapidis viam, Tapiavenſis diſtrictus Vigiliarum Magiſter, qui equidem non curioſitatis gratia, ſed neceſſitudine adductus, ſcilicet ædificii noviter exſtruendi fundamento adaptandos lapides, in adjacentibus agris & campis conquirere juſſit: mox ſeſe obtulit quærentibus ſaxum, ſub radicibus quercus validæ deliteſcens, ſatis craſſum & in menſæ quadratæ latitudinem explanatum, cinereum & duriſſimum, cæteroquin ſciſſile, ut facili negotio in laminas & cruſtas findi potuerit. Separatis ab invicem laminis apparebant ultro citroque diſcurrentes, & linea recta in longitudinem provectæ (ut operarii putabant) lapidem permeantes & in lapidem induratæ quercinæ radices; quarum nonnullæ firmiter ſaxo incluſæ hærebant, quædam verò eô concuſſo ſeſe ſeparabant, radioſa & cava latibula poſt ſe relinquentes. Cujus ſaxi quædam laminæ cum ſingulari benevolentia Amici ad me fuiſſent delatæ, ſtatim primo intuitu animalium ſeu inſectorum quorundam petrificatorum eſſe corpora, quibus fragmenta ſic dicti lapidis cancri caudæ ſimilis natales debeant, cognovi. Meritò dixerim fragmenta, cum noſtra foſſilia non quinis, ut obſervavit Geſnerus, ſed quinquaginta imo pluribus articulationibus continuis juncta, & in longitudinem bipedalem & tripedalem extenſa conſpiciantur. Quas articulationes vel vertebras ſpinæ murenularum, vel potius ſerpentum eſſe conjiciebam, hujusque conje-

 cturæ

cturæ fundamentum, in ſtructurâ, craſſitie, magnitudine, cute & inteſtinis collocabam. Quam tamen craſſitiem in extremitatibus ſibi non æqualem, ſed à cauda in mucronem deſinente, ſenſim ampliatam & auctam deprehendi, ita ut nonnulla ſpecimina in craſſitiem viperæ intumuiſſe apparerent. Cutis ſuperinducta fuſca eſt, & adhucdum luculenter cognoſcitur, verum tamen armatura quâdam minerali ſplendeſcente intermixta, inter quam & reliquam ſubſtantiam interſperſum videmus luteum pollinem. Foramen totum ferè corpus pertranſit, calamo ſcriptorio amplius, exta referens, quæ in plerisque in lucidiſſima cryſtalla abierunt: Superior pars tergum referens rotundata eſt & levis, inferior verò ventrem exhibens, planior & rugoſior exiſtit, quam inæqualitatem zonæ incurvatæ & in transverſum actæ cauſantur. Et licet articulationes quàm firmiſſimè cohæreant, cultro tamen hebeti juncturis applicato, & mallei ictu percuſſo facili negotio divelluntur & ſeparantur. Caput in communicatis mihi ſpeciminibus detruncatum fuiſſe obſervavi, quare nil certi de hujus petrifacti animalis genuina notitia concludere potui, certa tamen ſpe fretus futurum, ut mihi integra exemplaria; hujus noviter detecti foſſilis brevi erunt allata: fragmentum expreſſum Tab. 7. fig. 23. Meminit quoque hujus foſſilis Scheuchzerus, atque inter hoc & alveolum à Luidio p. 86. & 87, l. c. deſcriptum, hanc differentiam intercedere aſſerit; quod ſcilicet lapis caudæ cancri ſeu aſtaci fluviatilis quidem è pluribus alveolis conſtet, invicem inarticulatis, verum non rotundis, ſed inſtar caudæ aſtaci hemiſphæricis, tranſitusque per totam mediam lapidis longitudinem, foramen lapidea materia infarctum, quod tandem in tuberculum prominulum deſinit, oſtendat; Aſt in alveolis hoc nunquam obſervetur. Scheuchz. l. c. p. 9. fig. 11.

Sectio

Sectio 3tia.

Testaceorum petrificatorum historiam evolvit.

Quamvis Testacea in locis nostris à mari dissitis in tanta copia non colligantur, ut Musea nostra onerent, nihilominus tamen tam speciosa & curiosa apparent, ut ea pulchritudine & raritate sua quam felicissimè ornent. Exportantur enim nobis, fluctibus aquarum

I. UNIVALVIA & quidem

1. *Nautilites* seu *Cornu Ammonis* in lapidea eaque durissima matrice castanei coloris, qui totus nautilis vel cornibus Ammonis repletus, ita ut aliqui Nautili nondum explicati, nec ad perfectionem perducti in eô reperiantur, qui tamen omnes aurea armatura obducti sunt vid. Tab. 8. fig. 1. Cui similem descripsit Mylius in Saxon. Subterr. part. 1. Relat. 9. p. 67.

2. *Nautilitæ* parvi striis per dorsum transversis simplicibus, inter quos minimus pisi magnitudine apparet, omnes in modum cornu Ammonis convoluti, ita aperti ut interna cavitas appareat, colore albi, Tab. 8. fig. 2. & 3. de quibus autumo, quod sint cochleæ terrestres petrificatæ, Listero in Hist. Animal. Angl. p. 143. pullæ dictæ, quarum icones Bajer. Tab. 6. num. 28. & 29. Oryctogr. expressit, quas copiosissimè ad aquas stagnantes legimus. Hujus generis *Nautilitas* Luidius *minimos discoïdes, cristatis accedentes seu ambitu crenatos dixit*, & satis belle icone adumbravit. n. 263.

3. *Nautilitem*, cujus transversales striæ dorsum seu spinam dorsi extantem, non trajiciunt, sed striis simplicibus magisque rectis, ad spinam tamen antrorsum quodammodo inflexis & ab utroque latere concurrentibus in ejus medio desinunt. vid. Bajer. Oryct. Tab. 3. n. 7. & nostr. Tab. 8. fig. 4.

4. *Nautilites*, cujus transverſales ſtriæ dorſum quidem non transgrediuntur, ipſæ tamen ſunt rugoſiores & inordinatè poſitæ, obliquis ſulcis ſibi occurrentes, dorſum habet craſſum & articulatum, in medio lineola eminente diſtinctum. Color eſt infuſcus Tab. 8. fig. 5.

5. *Cochlites* lapidi ex albo cinereo immerſus, lævis, cavitate interna & extremitate adhuc conſpicua. Cochlitem hunc ob cochlearum, quas refert ſimilitudinem dixi, verum ſi dicendum quod res, ſpecialiori appellatione num. 2. & 4to deſcriptos, cochlitas potius quam Nautilitas dicendos eſſe putarim. Singulos lacus noſtri littora ſuppeditant. Iconem offert Tab. 8. fig. 6.

6. *Turbinitas* ſeu ut Bajerus efferre mavult *Buccinitas*, quorum cochleæ & ſpiræ buccinarum in modum producuntur, in lapidibus tam cinereis mollioribus quam in ſaxeis durioribus quoque miramur. Inque eis hanc differentiam obſervamus, quod ſinguli fere extantes ſint, & in matricibus ſuis promineant, ſpirasque à dextra verſus ſiniſtram tortas habeant, ſicuti hoc quoque Agricola de Nat. foſſ. p. 64. probè annotavit. vide Tab. 8. fig. 7. 8. 9. 10. & Tab. 9. fig. 5. Unicus autem quem poſſideo lapillus albus eſt, totus Buccinitis ſat manifeſtis effigiatus, qui tamen non eminent, ſed profundius impreſſi ſunt, ut lapis in ſuperficie plane lævigatus appareat, & quod palmarium omnes à ſiniſtris verſus dextram torti ſunt. vid. Tab. 8. fig. 11. In horum lapidibus nonnullis Turbinitarum trochleæ interiores viſuntur, ſeu Turbinitæ quidam ſpoliati, h. e. turbine vacui ſunt, juxta phraſin Luidii in præfat. Ichnogr. it. n. 380. & 381. explicatam, quibus variæ quoque conchæ & inprimis Strombi, tellinæ minimæ & ſimiles incluſæ ſunt. Omnes in littore lecti.

7. *Echinitæ* h. e. lapides Echinos marinos ſeu conchylia illa, ſetoſa & aculeata figura referentes. Antequam autem eos ordine recenſeamus, operæ pretium erit præmonere, quod hucuſque

uſque Echinitæ in univerſum omnes vulgariter pro Bufoniis lapidibus fuerint habiti, quos ex doctis nonnulli nomine *Chelonitis, Brontiæ* & *Ombriæ* deſcripſerunt; Verùm cum Phyſici recentiores, rerum naturalium rimas ſolertius indagantes, ad teſtaceorum in terra petrificatorum vel lapidoſa materia remixtorum, obductorum aut infarctorum genera pertinere, ut loquitur Bajer. initio cap. 7. Oryct. p. 57. tanquam ex ipſorum charactere genuino, ſatis clarè oſtenderunt, & ideò ſub Echinitarum titulô omnes lapides hucuſque per errorem Bufonitas creditos, propoſuerunt, igitur & nos eorum veſtigiis inſiſtentes, meritò Bufonitas ad Echinitas reducemus. Ubi tamen non confundendos puto Bufonitas Luidii cum falſô hactenus ita dictis, quos Ludius claſſe X. Ichnographiæ inter Ichtyodontes ſcutellatos recenſet, & Bufonios, non quod à Bufonibus venerint, ſed quia magnitudine & forma oculis bufonum ſimiles ſint, ita appellat: quapropter etiam le Pietre di roſpi, & gli occhi degli ſerpi Melitenſibus dicuntur: ſuntque parvi, orbiculati, umbonati & ſcaphoides, coloris plerumque fuſci, ſubfuſci, caſtanei, rubiginoſi, hepatici & atrorubentis, rarius albi, nigri cœrulei & variegati, ab illis lapidibus qui Echinitis annumerantur, toto cœlo diſtincti. Quare concipere non poſſum, cur Luidio modo dictos Bufonitas ſuos pro dentium fragmentis vel ipſis dentibus piſcium venditare non licuerit, cum Bufonitæ Luidii neque per ſomnium cum Ombriis & Brontiis comparari queant, ſed alia & diverſa ſint foſſilia, dentibus molaribus piſcium, neutiquam autem foſſilibus piſcium oſſibus, utpote à quibus facilè nitore inſigni diſtinguuntur, quàm ſimillima. Quos ipſe jam Boëtius plane diverſos & differentes ab Ombriis & Brontiis eſſe oſtendit, ideoque diverſis capitibus ut Bufonitem l. 2. c. 149. Chelonitem autem Brontiam & Ombriam lib. 2. c. 264. pertractavit. Neque ſeducat quis ſeipſum, ut Luidium l. c. Bufonitas luporum dentibus eorumque fragmentis asſimilâſſe, ſibi imaginatus fuerit, cum Luidius ibidem dentium lupinorum

non meminerit : *Lupinus* enim ibi non eſt Adjectivum trium terminationum das von Wölffen kommet / ſed Subſtantivum ſecundæ Declinationis & Germ. ſignificat Feigbohnen/ eſtque planta leguminoſa ad Claſſem Papilionaceam pertinens , ad quam ſiliquaſtrum, phaſeolus & piſa , quorum Luidius claſſe citata mentionem ſæpe injicit , quoque ſpectant. Nam quoniam nonnulli Ichtyodontes ſcutellati, lupinorum fructui & valvulis ſimiles apparent, ideò etiam num. 1448. ſiliquaſtrum quoddam latiuſculum ſeu lupini valvulo æmulum ex Actis Phil. Lond. citat , & num. 1456. Lupinati ſpecimen minus oſtendit, donec tandem num. 1508. lupinati ſiliquaſtri ſpecimen in medium producit , ut quilibet facilè intelligere poſſit ibi non de rapacibus lupis ſed gratis acceptiſque lupinis locutum fuiſſe. Tales Bufonites cum Pruſſia hactenus nondum manifeſtaverit, ſed qui hoc nomine vulgo circumferuntur ad Echinitas pertineant , ideò illis poſthabitis , hos ſolos hactenus nobis familiares partim è terra erutos , partim aliunde acquiſitos inpræſentiarum ſequenti ordine recenſebimus.

(a) *Echinites* major loricatus ſuperficie convexa , inferius plana parumque cava , tuberculis & lineis in ſuperficie cortice tectis, in baſi verò ſat diſtinctè per corticem ordine ſuo eminentibus Tab. 8. fig. 12. Bajerus hujuſcemodi Echinitem deſcribens opinatur eum non tam ex naturali diſpoſitione , quam violenta olim facta compreſſione formam ſuam accepiſſe , ob materiæ, qua teſtæ interna cavitas primitus incluſa fuit, mollitiem, quæ ponderi eam prementi facilè cedere potuit Oryctogr. c. 7. p. 70. conf. Tab. 35. Hujus Echinitæ ſpecimen anſam puto dediſſe Indagatoribus lapidum ſingulari figura inſignium, ut ſub imaginibus Brontiarum, Ombriarum & Chelonitarum Echinitas adumbrantes, Chelonitæ nomine non alium quam hunc noſtrum exprimere intenderint, probè conſiderantes, quod convexâ ſua figurâ eâ-

que

que in longitudinem producta, testudinum chelyn quadantenus referat: Quocum consentit Gesnerus scribens: *Chelonitidas diversos lapides, à testudinum animalium tegumenti figura sic nominabimus.* l. c. p. 61. Et ut dicam quod sentiam, ovum ovo similius non esse, quam testudinem recenter exclusam Echinitæ nostro, quam sententiam etiam tenuit Boëtius dicens: *Mihi testudinis corpus referre videtur: non ineptè enim quis existimare potest, esse nuper ex ovis exclusas testudines in lapidem conversas.* l. 2. c. 264.

(b) *Echinites* regularis convexæ rotunditatis quinis geminatis lineis à baseos modiolo ad verticem tendentibus impressione punctorum notatis, conspicuus: Luidio Echinites fibularis major dictus, num. 944. colore subfusco materia silicea.

(c) *Echinites* regularis quinis lineis geminatis iisque punctatis distinctus, vertice fastigiato, basi plana & modiolo excavato, totus siliceus, semidiaphanus, colore fuscus. Tab. 8. fig. 13. Luidio itidem fibularis minor dictus. num. 945.

(d) *Echinites* regularis seu fibularis minor, æqualibus linearum eminentiis & spatiis divisus, quarum singulæ iterum striatæ sunt. Niger est & tam durus, ut in basi politus imagines reddat.

(e) *Echinites* irregularis parum fastigiatus basi plana, in quo quidem quini radii impressi apparent, verum intervalla & spatia inter radios inordinatè sulcata sunt, testimonium naturalis formæ non parum corruptæ exhibentes. In vitri modum ex nigredine relucet.

(f) *Echinites* totus siliceus, ex fastigiatorum sed irregularium genere, in quô præter impressiones linearum ordinarias, plures aliæ apparent exesæ & corrosæ, ob aëris, cui in terræ superficie diutius expositus fuerat, injuriam, ut opinatur Luidius num. 961. vid. Tab. 8. fig. 14. Lo-

cum natalem Angerburgenſe ſolum nominare non poſſum, nunquam enim vel è profundis terræ viſceribus erutos, vel ad littora noſtra lectos fuiſſe expertus ſum, ſed tantum paſſim inventos vel ab exteris acceptos, quos quoniam in multorum manibus eſſe video, huic opellæ noſtræ inſerendos putavi.

(g) Hic quoque lapidem duriſſimum fuſcum Tab. 8. fig. 20. exhibitum inſerimus, *aculeis, colliculis & exuviis echininis* quantitate inter ſe differentibus repletum, materia in ſilicem induratis, colore albis, originalem lapidis mollitiem demonſtrantibus.

(h) Subminiſtrat nobis quoque ſolum noſtrum alios lapides incertæ adhucdum originis, *rotundatos, hemiſphæricos, faſtigiatos, poroſos, ſulcatos, rugoſos, cavernoſos, ſtriis capillaceis præditos*, quorum baſis plana & in nonnullis circinis exaſperata viſitur; colore albido, nigro & infuſco variantes; ut Tab. 8. fig. 15. 16. 17. & 18. oſtendunt. Quos nonnulli propriè bufonitarum nomine unos & ſolos venire putant. Quorum ſententiam ego quidem refellere nolo, interea tamen non video, quâ ratione adductus, eos pro bufoniis lapidibus agnoſcere debeam, quos ſolùm ex vulgi opinione ita appellatos cognoverim. Quapropter ob æqualem, quam cum Echinitarum claſſe in externâ figuratione oſtendunt convenientiam, meliorem informationem à doctioribus expectaturus, Echinitis hac vice annumerare volui. Fateor equidem me in obſervationibus ad Schematiſmum Pruſſiæ Subterraneæ Dn. Profeſſ. Fiſcheri MScriptis, modo dictos lapides & cum eis ſphæricos circumcirca foraminatos, quorum effigiem Tab. 8. fig. 19. tradit, Bufonitas appellâſſe, verum ſcripſi ex opinione vulgi, quam nunc meliora edoctus plane rejicio.

II. BIVALVIA.

II. BIVALVIA. E bivalvibus quæ obſervavi ſequenti recitantur ſerie

1. *Oſtracites major*, ſeu lapis vulgari oſtreo ſimilis, eine verſteinerte Oſter-Schale/ ad lapideas conchas referendus, ſuperficie aſpera & inæquali, & licet ſat craſſus ſit, & lapideis lamellis ſibi invicem inſidentibus impletus, tamen ſubſtantiæ ſuæ ſat luculenta teſtimonia prodit.

2. *Oſtracites minor*. Oſtracites hic in cavitate totus fere maſsâ lapidea repletus & in ſuperficie tubulorum nidulis exaſperatus eſt.

3. *Fragmenta Oſtrearum* lapidea. Ad Lœcenſia & Angerburgenſia littora cum modo recenſitis inveniuntur, quorum icones oſtendunt fig. 21. & 22. Tab. 8. Nec mirum cui videatur hujus generis teſtacea, cum oſtrea aquas noſtras non inhabitent, apud nos colligi, dudum enim jam ante noſtra tempora collecta fuere, & celeberrimo Geſnerô è Pruſſia miſſa, quæ Lithoſtreorum nomine inſignivit, ſimulque iconem dedit, ut patet lib. de fig. lap. p. 138. Quæ nos inter plurima alia de certitudine diluvii Univerſalis ſufficienter convincunt.

4. *Muſculi vulgaris* fluviatilis ſpecimina ad Lacum Lœcenſem Leventinum ſæpe obvia ſunt, maximam jam partem ſpiritu petrificante ita imprægnata, ut lapidea eorum durities ad oculum appareat. Eruuntur quoque Muſculitæ exigui integri è lapidibus duris ex gypſea materia compactis, è littoralibus Kehlenſibus ſublati.

5. *Concharum lapidearum* larga ſeſe apud nos offert meſſis, præcipuè autem earum, quæ pectunculitarum nomine veniunt; ut

(a) *Pectunculites* capillaribus ſtriis pulcherrimè ſtriatus, in longitudinem ex unô punctô prodeuntibus. Hujus generis mirificè variantia ſpecimina, plerumque autem in lapidibus cinereis ſeſe offerunt. Alia enim tenuia alia lævia, oblonga alia, alia flabelli modo expanſa repe-

riuntur

riuntur. Quædam tota lapidea & conclusis valvis integra & quidem seorsim, quædam iterum valvis separatis, acervatim compacta in lapidibus magnitudine differentia, hospitantur. Quos Tab. 9. fig. 1. 2. 3. 6. 7. & 8. repræsentant. Observantur quoque pectunculitæ transversalibus striis & lapideæ massæ inclusi & ab eâ separati ut Tab. 9. fig. 4. ostendit.

(b) *Conchæ Anomiæ striatæ* τριλόβυ Columnæ. Ejus quoque species apud nos variant; sunt enim majores & minores, aliæ singulatim inveniuntur, infusci & cinerei coloris lapidibus exclusæ, aliæ cinereo saxo ut matrici suæ inhærent, quarum nonnullæ lucentes & quasi metallicæ apparent. Conf. Tab. 9. fig. 9. 10. & 11. De his conchitis Prussicis & inprimis in nostro districtu reperiundis, jam suo ævo testatus est de Laët sic scribens: *Sed & Conchites in Prussiæ loco, qui Rosarum hortus nuncupatur inventus est.* lib. 2. c. 29. p. 179. l. c.

(c) *Conchites* sinuoso ac lacunoso margine præditus minor Bajer. Tab. 5. fig. 28. In nostra Tab. 9. fig. 12. expressus est.

(d) Lapis crustaceus luteus ex testaceorum fragmentis quasi compactus. Et alius ejusdem coloris materiæ lapideæ pectunculitas includens. Eundem sed cinerei coloris describit Hoffmannus in Floræ Altorffinæ Deliciis Sylvestr. sub finem literæ L. item Gesn. p. 165.

(e) Nec omittendi sunt lapides ad amnes, fluvios & lacus collecti duriores, *Pectines*, *Pectunculos & Mytulos* impressos monstrantes, alias spoliati ut supra monuimus, h. e. ab ipsis conchis vacui, dicti. Tab. 9. fig. 13. Quos inter duo fragmenta asservantur, pectines magnos repræsentantia Tab. 9. fig. 14. & 15.

(f) Addo etiam Pectunculitas minutos qui convexitate sua in lapidibus cinereis prostant, simillimi quidem figuris, quæ

quæ in terra Tripolitana apparent, ſtriis verò ſunt differentes; hæ namque in Tripolitanis teſtas oblique transmeant, in noſtratibus verò rectæ & in longitudinem exaratæ apparent; vid. Tab. 9. fig. 16. Conf. Imperat. Hiſt. Nat. l. 24. c. 26.

(g) Ultimo loco lapidem & conchis & ſqvamis piſcium refertum appono, in quo figuræ quaſi inſculptæ conſpiciuntur ab Agricola lib. 5. de Nat. foſſ. Lepidotæ nomine deſcriptum. Plenus hic eſſe videtur ſqvamis parvis, eminentibus, quibus ſeſe pectunculi ſilicei, entrochi & conchæ intermiſcent, verùm accuratius obſervatus non ſquamis ſed ſqvamiformibus pectunculis plenus eſſe apparet. vid. Tab. 9. fig. 17. Ad margines aquarum obvius.

CLASSIS III.
Ex Regno Minerali.
Sectio I.
De Metallis.

§. I.

QUanquam Pruſſia Metallorum fertilis non ſit, nihilominus tamen ne intactam hanc claſſem relinquamus, quædam hic in medium proferre placuit. Scilicet quod littora maris Baltici lapides zonis & venis argenteis diſtinctos ſubminiſtrant, quos Beatè defunctus Generoſiſſimus à Podewils, Diſtrictus noſtri tum temporis Capitaneus meritiſſimus è littoreis oris acceperat, Regiæ Majeſtati Friderico Beatiſſimæ Memoriæ offerendos. Plura quæ ex ſolertiſſima inquiſitione Domini Profeſſoris Fiſcheri de

Metallorum & metallifodinarum in Pruſſia exiſtentia innotuere, ex ejusdem recenſione expectanda ſunt. Non negligendum nobis quoque oſtendunt indicium lapides Galena & Metallicis ſcoriis intermixti. Inter quos lapis è ruderibus montis Grodzisko bey Eckersberg im Rheiniſchen Ambt effoſſus, ferè totus Metallicus, plicaturis ſuis mirificè exaratus, & fungo poroſo vel pani ſtreptitio quadantenus æmulus. Quem ſi juſto nomine efferre debeam, merito *Fluorem cum* Pyrite dixerim. Num ſit ſpecies quædam lapidis à Scheuchzero pag. 67. fig. 89. deſcripti, ulteriori examine opus habet.

§. 2.

Mineram ferri noſtra terra copioſiſſimè gignit. Teſtantur hoc agri & prata noſtra, quæ ob hujus metalli abundantiam quotannis laborem agricolarum fruſtrantur. In Prædio Nobili Friedrichsfeld/ cum in effodiendis foſſis foſſores occupati eſſent, obſervare licuit, prata fere ubique ſub ceſpitibus minera Martis obtecta fuiſſe. Inprimis autem ad lacum Kehlenſem tam grandia & gravia hujus mineræ fruſta deprehenduntur, quæ vix quadrigis loco moveri poſſunt, imo ipſe lacus quouſque oculus pertingere poteſt minera Martis pavimenti inſtar perſtratus eſt. Cuditur ex hujus æris foſſilis materia ferrum in fabrica ferrea Babienten im Sehſtiſchen & im Cammer-Ambt Polommen im Oletziſchen Ambt/ & alibi, & licet Polomnicenſe magis ſit laudabile nihilominus tamen utrumque ob ſummam duritiem minus eſt tractabile, ut præter incudes & vomeres alia ſubtiliora inſtrumenta Oeconomica vel opificibus conducibilia, ex eô confici vix poſſint. Quem tamen defectum non tam materiæ, quam inſcitiæ operariorum adſcribendum puto.

Sectio 2da.
De Sulphure, Sale & Bituminibus.

§. 1.

Sulphur terram noſtram alere nondum examinavi. Salem autem in montibus Pruſſicis latere ex adnatis in ſaxis fruſtulis ſalſuginoſis colligo. Opinioni meæ ſuffragari videntur fontes ſaliti, quorum veſtigia Lithuania monſtrare perhibetur. Probare conatur B. Wigandus in tractatu de Sale Boruſſico conſcripto, ſalis exiſtentiam: verùm plus videtur promittere in rubro quam præſtare in nigro. *Nitrum* nativum Pruſſicum Excell. Dominus Profeſſor Fiſcher ſub noſtro climate adeſſe arte ſpagirica examinavit: cui aſſentiri non vereor cum apud nos quoque terra, ad præparandum nitrum apta, ſale unita, variis locis effodienda ſeſe offerat. Accenſemus huic *Aphronitrum* ſeu ſalſedinem illam lanuginoſam, ſpumam nitri aliàs dictam, quæ non ſolum in lapidibus calcareis naturaliter latet, ſed etiam ex cœmentitiis operibus copioſè effloreſcit: Id quod cryptæ, cellæ & cavernæ ſatis ſuperque teſtantur. Conferri hic poterit quod Mart. Liſterus Anglus de Nitro Murali Calcario dicto, quod è lapide Calcario, tam crudo, quam cocto in parietibus vetuſtiſſimis ædificiorum ſponte naſcitur, annotavit, Tractatu de Fontibus Medicatis Angliæ cap. 1. num. V. p. 6.

§. 2.

Bituminibus refertam eſſe noſtram terram ſufficienter ceſpites bituminoſi die Turff-Erde teſtantur, qui variis in locis effodiuntur colorum varietate ludentes, qui tamen propter ſylvarum & lignorum apud nos ſufficientiam parvi habentur. Majus autem ſubminiſtrat teſtimonium *Succinum*, quod in Angerburgenſi quoque terra venas ſuas ſervat. Cum enim ante

aliquot annos fossa satis ampla & profunda circa nobile prædium Dombrofken duceretur, detecta fuit scaturigo aquæ dulcis, è quâ simul cum prosiliente aqua plurima frustula succini egredi animadvertebantur, quæ ulterius fodiendo indagata, mox mensuram dimidii modii impleverunt. Verùm ne hocce thesauro locus hic plane privaretur, ulterius venam prosequi Generosissimi Possessoris interdicto vetitum fuit. Quod curiosissimus Dn. D. Hartmann, omissis licet modo recensitis circumstantiis, in Succini Prussici Histor. p. 31. indubitatò tamen testatur. Lacus itidem Angerburgensis ad pagum Kehl, magis autem versus Steinorth situs, Zephyro flante succinum quandoque ejicit, quod accolæ colligentes non solùm ad suffimenta, sed & variis curiosis operibus efformandis hinc inde divendunt, ita ut Illustr. Comitissa à *Lehndorff*, cuilibet Comiti Filio, signa & orbiculos ludo à l'Ombre dicto, conducibiles, propria manu è succino Angerburgensi, adaptaverit. Piscatores etiam Kehlenses serena tempestate in lacu in arundinetis frustula succini natitare comperiunt, quæ den schwimmenden Birnstein nominant, id quod jam dudum succini scriptoribus fuit notum: Sic enim M. Johannes Pomarius in tractatu cui titulus: Der köstliche Agtstein oder Börnstein / Anno 1587. Magdeburgi edito, ad quæstionem: Wo der Agtstein gefunden werde? respondet: Es soll auch etzlicher in einem See weit vom Meer/ drey Meilen von Rastenburg/ qui non est alius quam lacus Steinorthensis die Mawer dictus, gefunden / und von den Fischern in ihrem Gaarn/ wenn sie dieselbe tieff hinein lassen/ mit heraus gezogen werden; quam relationem ex Severini Gœbelii de Succino libellô, ex modo adducendis ipsissimis verbis, hausisse autumo: „ Inventum etiam in lacu quôdam, remotissimè à mari remoto „ ubi veteris & nobilis familiæ Truchsorum à Wetzhausen (intel- „ lige quondam, nunc verò Illustrium Comitum à Lehndorff) pa- „ gus est, qui distat ab oppido Rastenburga tribus (ni fallor) mil- „ liaribus: lacus is est profundissimus, in quem si altius demit-

tant

„ tant piſcatores retia, ſuccinum unà extrahunt. h. i. p. m. 19. (b) Quod etiam recenſuit Imperatus H. N. p. 451. Colliguntur quoque fruſta ſuccini ad nobile prædium Reſau, ad pagos Soltmahnen, Zabieniec, Pieczarken, Roggen, tam inter arandum in agris, quàm præcipuè ad littora lacuum adjacentium. Color in noſtrate varius apparet, plerumque luteus aut braſſicæ capitatæ albæ (Germ. Kombſtfarb) æmulus, ſi ſcilicet ad littora lectum fuerit, quod autem è terra eruitur impurum eſt, fragile & colophoniæ quadantenus æquale.

CAPUT VII.
De reliquis lapidibus & foſſilibus, inprimis arte factis.

Sectio 1ma.
De Lapidibus ſuperſtitioſis,

1. De Lapide Fulminari.

§. 1.

LApis fulminaris, Ceraunia dictus, diu multumque plus in cerebro fabuloſorum, quam in nubibus agitatus, cum è terra noſtra ſæpius eruatur, conſiderationis materiam nobis præbuit. Ubi tamen ſtatim præmonendum duxi, noſtri hic non eſſe inſtituti opiniones Phyſicorum, exiſtentiam ejus vel affirmantium vel negantium examinare, vel generationis modum ex principiis naturalibus adſtruere, multo minus ſententiæ eorum qui effectus fulminaris lapidis, experientia multisque exemplis ſuffulcire conantur, quocunque modo patrocinari, ſufficienter ex ſcriptis Virorum eruditione clariſſimorum edocti, ſingula hæc dudum jam ſatis eruditè diſputata & diſcuſſa eſſe; ſed tantum in-

præſentiarum recenſere, qualia ſpecimina modo dictorum lapidum hactenus pro fulminaribus habitorum Angerburgenſis diſtrictus nobis hucuſque exhibuerit: aut in quos uſus tam ab antiquis, quam modernis Pruſſis adhibitus fuerit, quâ fieri poterit dexteritate ex antiquorum monumentis enodare.

§. 2.

Variis figuris diſtinctos lapides fulminares poſſidemus, imo quotidie colligimus, pyramidales, cunei vel claviformes, non à clavi ſed clavæ ſimilitudine ſic dictos ut rectè monet de Laët ex Geſnero l. 2. c. 24. p. 157. præterea malleos, ſagittas & ſecures referentes: Præ cæteris autem oſtendere poſſumus claviformem, reliquos omnes plus quam pedali ſua longitudine ſuperantem, ex cujus tamen detruncatæ extremitatis facie, eum antea multò longiorem extitiſſe, & in acuminatum faſtigium pyramidis ad inſtar deſiiſſe, facilè conjicitur, cæteroquin non admodum groſſum, ſed qui manu comprehendi & includi posſit, aliàs fere quadrilaterum in ſuperficie & una extremitate lævigatum, extra nigricantem, intus materia ſaxea duriſſimum. Alterum quoque claviæmulum, ſed multò minorem teretem, unâ parte in cuſpidem obtuſam deſinentem, ejusdem cum præcedente coloris. Tertium cylindraceum ſextantem non excedentem. Plurimos autem alios aſſervo cunei & malleiformes, longitudine, latitudine & craſſitie inæquali, ſubſtantia ſaxea & ita dura, ut limam non ſentiant, gravitate ſat ponderoſa, colore nigro, cinereo, ſubobſcuro, ex nigro viridi, vel fuſcô, rarius luteo-pallido & rubente, quales mihi in muſeo Excell. Dn. Prof. Fiſcheri videre contigit, ſuperficie vel polita vel non polita. Ut plurimum in æquilibrio foramen oſtendunt, ad magnitudinem lapidis proportionatum, ita tamen ut in quibusdam ab una parte magis dilatatum, ab alterâ verò anguſtius coarctatum appareat. Quos inter unius cuneiformis perforati magnitudinem miror, quæ ad ſtateram examinata pondo trium librarum

accuratiſſimè

accuratiſſimè oſtendit. Reliqui cuneiformes perforati quidem non ſunt, cuneis tamen, quibus ligna findi ſolent, quam ſimillimi, una ſcilicet parte tam acuti, ut quamvis rimulam facilè intrare poſſint, alterâ autem latiores & ampliores exiſtant. Subſtantia ut plurimùm ſilicea, ſeu lapidis cornei, coloribus variis ludentes. Quanquam negare non poſſum, plerosque ex ejusmodi lapidis materia confectos eſſe, quæ in Pruſſia obvia non eſt, hinc aliunde allatos & à Pruſſis acquiſitos eſſe, non difficilis eſt conjectura. Tentâſſe quidem Pruſſos ex indigenis lapidibus modo dictis ſimiles fabricare, primariò ex duobus colligo, quorum unus ad formam ſecuris portatilis Polonicæ (Zokan) Germ. Haubuck dictæ, effigiatus, & rudi minerva fabricatus eſt, nec aliquâ politura lævigatus: alter verò malleiformis, in quo foraminis terebratio quidem inchoata, verum ad medietatem nondum perducta eſt, ut icon Tab. 10. fig. 1. oſtendit, quam inſtrumento quodam ferreo verſatili, eôque vel rotundo, vel duplici ferreâ cuſpide ſibi invicem oppoſita inſtructo, motu ultro citroque acto tentatum fuiſſe facilè colligitur. Et quoniam ſpatio in circuitu excavato, lapidis intacta portio in medio integra remanſit, non difficile quis opinari poſſet, lapidis foramini alium lapidem cylindraceum infixum, vel glutine quôdam in eô firmatum fuiſſe. Malleos quoque & ſecures aliqui referunt, qui oculis curioſorum è capſulis muſei noſtri, in quibus reconduntur, ad placitum exponi poſſunt.

§. 3.

Ex modo dictis cum jam facilè appareat, hos lapides factitios eſſe: non obſcurè quilibet colligere poterit, non fruſtra ejusmodi operoſo labori intentos fuiſſe veteres Pruſſos, ſed certis uſibus tam publicis quam privatis hos malleos & cuneos lapideos dicaſſe. Si Virorum in re litteraria illuſtrium evolvamus ſcripta, generaliter tantum eos annotaſſe deprehendemus, quod lapides hactenus pro fulminaribus falſò venditati, utenſilibus

silibus gentilium annumerandi sint; quod curiosè indicâsse comperimus Polyhistorem Saxonicum Tenzelium in den Monatlichen Unterredungen ad Annum 1690. Mens. Nov. p. 894. & 899. item ad Ann. 1695. Mens. Octobr. p. 945. & ad Annum 1696. Mens. Jul. p. 655. &c. Veruntamen quales propriè isti usus fuerint, quibus inservire valuerint mallei & cunei nostri, nullibi præcise expressum, multo minus demonstratum invenimus. Quod nos movit tentare num antiquæ tam Gothicæ quàm Russicæ Historiæ monumenta, nobis in hisce tenebris versantibus, lumen quoddam accendere non valuerint, quibus mediantibus caligo inscitiæ, quæ nos hactenus obumbravit, qualicunque modo discuti & dissipari possit. Extra omnem dubitationis aleam positum est, Gothos olim certos DEOS fulminares coluisse, quos cœlo intonante, à peregrinis quibusdam Diis debellatos credebant, quibus ne in conflictu succumberent, in adjutorium tela plurima in aërem vibrabant, in quô tamen non acquiescebant, sed etiam tonitrua gravissimis malleis æneis imitando effingebant, certo persvasi ejusmodi malleorum ictibus tonitrua in nubibus causari. Quos malleos fulminares summa reverentia ex maxima devotione asservabant, existamantes primariam cultus partem in hisce ceremoniis absolutum iri. Duravit hic cultus Idololatricus malleorum fulminarium usque ad tempora Regis Joannis Magni, qui zelo Christianæ Religionis ductus, odiôque immani erga idololatriam incensus, eum abrogavit, & fanum idololatria, Idolum verò æneis seu Jovialibus malleis spoliavit, referente Erasmo Francisci im Erdherumbgehenden Lufft-Kreyß Discurs. 16. p. 1219. ex Olai M. l. 1. c. 12. Hist. Goth. & Svevon. Idolum hocce Gothicum, cujus cultum tam religiosè prosequebantur, Thoronis nomine insigniebant, cui ex Adami Bremensis testimonio præsidium in aëre concreditum fuit, tonitrus, fulmina, ventos imbresque, serena & fruges gubernare. Movit hoc nonnullos ut vocabulum Thor à tonitru, aut contrario modo tonitru à voce

Thor

Thor derivarent, ut videre eſt lib. 1. Germ. Antiqu. Cluveri, & Joh. Schefferi Upſalia antiqua c. 6. p. 50. Erasm. Franciſci l. c. p. 1291. Ubi ſimul refertur malleum ignitum ſeu potius lapidem malleiformem ejus dextræ ad incutiendum timidis terrorem ſacratum fuiſſe, de quo conſuli poteſt Hartknoch. in Chron. Pruſſ. part. 1. c. 6. p. 132. & ſeq. Quemadmodum autem gens Gothica Thoronis nomine tonantem ſuum celebrabat, Ruthenica quoque eundem nomine Perunis honorare in more habuit, ita etiam Pruſſica gentilitas à moribus Rusſicis non multum recedens, cultus idololatrici ritus huic genti conſvetos magna ex parte retinuit, eosque tam cito abrogare non potuit, ſed DEum Fulminarem ſub appellatione Percuni adoravit. Quæ nomina accedente cujusque lingvæ dialectu propria, & permutatione quarundam literarum facta, diverſam quidem pronuntiationem pepererunt, verum unum eundemque DEum Fulminarem in rei veritate reſpexerunt: ita, ut is qui Gothica lingva Thor, Thoron vel Thorun dicebatur, Rusſico idiomate Perun, Polonico Piorun, Lithuanico autem Perkun efferretur. Quibus nominibus nihil aliud, quam tonitru & tunc deſignabatur, & in hunc usque diem denotatur. Fuit hujus idoli imago erecta hominis effigie, tenens in manu ignitum lapidem, fulminari non abſimilem, in cujus honorem ſuſtentatus fuit ignis perpetuus, usque dum Evangelii veritas, in Novogardia illuxerit, ad quam Ruſſi converſi, Peruni idolum in fluvium præcipitarunt, ut teſtatur Sigism. L. B. in Herberſtein in Rerum Moſcoviticarum commentario; in cujus idoli memoriam monaſterium prope adjacens nomen Perunzki ſortitum eſſe putatur. Quod iisdem fere verbis Hartknoch in Chron. Pruſſ. ex Strykofski Sarmatia Europæa recenſet, inſuper addit, quod ignis ille ex quercubus fuiſſet conſtitutus, & perpetuo nocte & die arſerit. Quodſi negligentia miniſtrorum, quibus hæc cura commiſſa erat, ignem extingvi contingeret, tunc capitis poena plectebantur. l. ſupra cit.

§. 4.

Sicuti autem Gothica, Svecica, Russica & Prussica gens, sub diversis nominibus unum eundemque DEum Fulminarem scilicet Jovem coluit, ut l. c. Hartknoch demonstratum dedit; ita facilè conjicitur, eam iisdem ferè ceremoniis eundem cultum peregisse tum temporis, quando Jovem suum iratum & tonantem metuebat, vel cum aliis pugnantem sentiret. Scilicet certo malleorum pulsu tumultus quosdam consvetis ceremoniis excitare, sicque idoli sui honorem & laudem celebrare; de quibus malleis mihi aliter persvadere non possum, quam quod nostri lapides fulminares fuerint, & in specie illi, qui malleiformes & simul perforati apparent: quorum figura non incongruè à Gesnero appellatur σφυροειδής quod σφυρὰν, à Græcis dictum mallei genus ligneum, vulgariter ein Schlägel/præ se ferat: quorum beneficio, foramini manubrio indito & firmato facili negotio tumultuari potuerunt, quilibet pro ætatis suæ constitutione, adulti gravioribus & majoribus, juvenes & puellæ levioribus & minoribus. Neque obstat quod Gothi æneis malleis usi fuisse dicantur; hoc enim vel de Sacerdotibus, vel divitibus tympanizantibus intelligi debere facilè elicitur; pauperes verò & plebei hanc ipsam venerationem & lapideis præstare potuerunt, utpote æris & ferri apparatu destituti: quod præprimis de Prussis testatur Hartknoch & addit, quod in defectu ferri clavas ligneas una parte crassiores & plumbo repletas habuerint l. c. part. 1. c. 14. p. 220. Cui accedit, quod in Deorum suorum manibus non æneos sed lapideos malleos conspexerint, ut sæpe cit. Hartkn. ostendit, quapropter aliis, quam lapideis malleis uti, vix sibi licere posse, facilè intelligere potuerunt. Et quoniam adhuc hodie è ruderibus quondam conflagratarum ædium, in primis quæ à Gentilibus olim inhabitatæ fuerunt, ejusmodi mallei eruuntur, credibile est eos in usus sacros (potius dixerim superstitiosos) adhibitos & in domibus asservatos

ſervatos fuiſſe, quibus deinde incendio conſumptis, terra obrutos remanſiſſe, donec tandem qualicunque occaſione oblata effosſi fuerunt. Quod occaſionem multis dediſſe videtur, exiſtimare, ea domicilia in quibus inveniuntur, lapide fulminari è nubibus percuſſa, accenſa & combuſta fuiſſe, eôque ipſo lapidibus his nomen lapidum fulminarium, Germ. Donner-Keulen/ Strahl-Donner-oder Stein-Hammer tam ex vulgi ſententia, quam ex aſſenſu doctiorum, quanquam minus conſideratè impoſitum fuiſſe. Illuſtrare videtur hanc noſtram opinionem, abuſus hujus lapidis à ruſticis quibusdam hucuſque ſuperſtitioſè obſervatus. Ut jam taceam ſuperſtitionem muliercularum, quæ ſimulac vaccas lac cum cruore reddere obſervant, per foramen lapidis fulminaris eas mulgere ſolent, vel cunis infantum hos lapides imponere, ne fulmine tangantur, & quæ ſunt alia: ſolùm hic in medium afferre operæ pretium erit, eum abuſum, quo mediante, auditô tonitru ſine mora lapidem fulminarem arripere ſolent, & ſi fuerit perforatus, foramini digitum immittere, in quo, lapide velociſſimè circumacto, eôdem tergeminis ictibus, & ut dicitur ſub murmure quodam oſtia ferire, ſperantes quod hiſce ceremoniis peractis ædificium à fulmine liberum ſit manſurum, cujus abominabilis facti veritatem tempore Paſtoratus mei ſæpe ſum expertus: quæ tamen ſuperſtitio cum ſub præſidio B. defuncti Domini à Podewils t. t. Diſtrictus noſtri Capitanei & poſt fata venerandi, ſub pœna graviſſima interdicta fuit, hodienum amplius, niſi id forſan occultè fiat, non animadvertitur. Huc collimat opinio eorum, qui credebant, domum, in qua lapis fulminaris aſſervatur, fulmine non feriri, quemadmodum Agricola, Boëtius, Wormius & alii hujus mentionem injecerunt, locis antea citatis.

§. 5.

Diximus antea per Numina Gothica, Ruſſica, & Pruſſica fulminaria, nullum alium quam Jovem deſignatum fuiſſe.

Non caret hæc aſſertio fundamento. Romanorum enim ſi evolverimus annales magnum lumen accedere ſententiæ noſtræ comperiemus. Legimus enim eos quoque more Septentrionalium Deaſtris ſuis certos lapides vel malleos lapideos, quos in manibus tenerent, aſſignâſſe, & præprimis ſimulacrum Jovis ſui lapideis armis in delubris oculis populi expoſuiſſe. Quos lapides non alios, quam fulminaria illa terriculamenta lapidea, in terram à Jove è nubibus miſſa credula gens fuiſſe putabat. Et certè quid aliud fuit *Lapis Silex*, quem Romani è templo Jovis Feretrii ſumere ſolebant, quo fœdus ferirent? quàm hic lapis ſuperſtitioſus fulminaris? Quid *Jupiter Lapis*, ſecundum Feſtum ita dictus, indigitabat, quem in ſanciendis fœderibus tenebant, ea verba dicentes: *Si ſciens fallam, ita me Dieſpiter ſalva urbe, arceque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem*, certe nihil aliud, quam Jovis irati fulmen, quod inter multa alia tela Jovialia & hoc lapide ex altô dejici putabatur, à quô ſibi cavere debebant fœdifragi. vid. Roſin. de Antiquit. Rom. l. 2. c. 5. p. m. 234. & 239. Qui imaginarii Deaſtrorum ictus, tam copioſos imaginarios lapides fulminares in nubibus pepererunt.

§. 6.

Nec tamen inficiamur lapides fulminares in uſus quoque bellicos adhibitos fuiſſe. Non quidem jaculatione quadam fundæ beneficio facta, ut aliqui opinati ſunt, huic enim uſui partim ob magnitudinem, partim ob figuræ inconvenientiam non ſatis proportionatos vel aptos eſſe videmus. Teſtantur enim Antiquitates tam Sacræ quam Profanæ, quod ad hoc certaminis genus, minores lapides, iique lævigata ſuperficie fuerint lecti, ut non ſolum fundibularii illius Iſraëlitici Davidis exemplo ex 1. Sam. c. 17. v. 40. probari poteſt, ſed etiam incolarum Balearium Inſularum, quibus aliis avibus veſci permiſſum non fuit, niſi quas funda ſibi ipſis comparâſſent; id quod gravibus & ponderoſis lapidibus præſtare, absque peculiari machina impoſſibile erat, ideo-

que

que facilis conjectura, illud lapillis rotundis, vel globulis plumbeis præstitisse, ut scribit Virgilius I. Georgicorum :

Stuppea torquentur balearis verbera fundæ.

Et Ovidius l. 2. Metamorph.

Non secus exarsit, quam cum balearica plumbum
Funda jacit : volat illud & incandescit eundo.

Qui mos etiam in Aquilonaribus regionibus invaluerat, teste Olao M. in Hist. Sept. Sed usi sunt lapidibus fulminaribus & inprimis mallei vel cuneiformibus, ut vel ligno quôdam inserto, ad projiciendum idonei fierent, eo ferè modo, quo disci lapidei perforabantur, & ligno indito ad projiciendum aptabantur; quos Gesnerus lapidibus quoque fulminaribus annumeravit & δισκοειδεῖς, discoides nominavit lib. de fig. lap. p. 64. vel ad percutiendum in prælio & resistendum invasioni hostium : quanquam & manubrio fracto, pollice foramini indito pugnare poterant, quapropter etiam ejusmodi lapides cum aliis insignibus in testimonium virtutum bellicarum sepulchris & urnis impositos fuisse deprehendimus, ex quibus non rarò eruuntur, quod Tentzelius in Monatlichen Unterredungen ad Annum 1696. ad Mens. Jul. p. 654. & annum 1695. ad Mens. Nov. p. 945. ex Historia urnæ Sarmaticæ Jacobi à Mellen ad Wedelium p. 8. refert, ibique testatur, quod in uno sepulchro quinque lapides fulminares cum totidem urnis fuerint inventi, & adhucdum sæpissimè in sepulchris Cimbricis occurrant : id quod testatur Jodocus Hermann Nunningius in Sepulcreto Westphalico Mimigardico-Gentili Sect. 1. c. 6. §. 2. p. 43. seqq. Et Joan. Henr. Cohausen in Ossilegio Historico-Physico. c. 6.

§. 7.

Sed aliis adhuc expeditionibus bellicis hos lapides fulminares applicatos fuisse existimamus : scilicet ad ejaculandos ignes è manu militum, quos ut mihi videtur foraminatis hic lapidibus indiderunt. Mentionem facit talium πυροβόλων λίθων

ſeu lapidum ignem jaculantium Svidas in V. *ἡμεροδρομος* : Et Hippocrates citante Pfeiffero in Antiquitat. Græcis l. 2. c. 62. p. 407. circa fin. initio libri de fracturis inquit, aliam brachii figuram fuiſſe *ἐν ἀκοντισμῷ κατά φύσιν*, aliam verò *ἐν σφενδονήσιν* h. e. in jaculatione fundarum, *ἐν λιθοβολίησιν* in lapidum emisſione, nec non *ἐν πυγμῇ* in pugillatu, quæ licet ad alios lapides accommodari poſſint, non tamen video, cur ad noſtros quoque lapides perforatos quadrare non debeant, cum aptitudinem hiſce uſibus accommodabilem ſat luculenter oſtendant. Quod autem cuneiformes attinet, eos nihil aliud quàm lapides miſſiles olim fuiſſe exiſtimandum eſt; quod ſtatuere non una ſvadet ratio. Non enim ſolum proſtant teſtimonia veterum, quibus indubitatò adſtruitur, quod ejusmodi lapidibus miſſilibus urbes & naves expugnatæ fuerint: Audiamus Plinium plenius ac planius hanc in rem differentem: *Sotacus alia duo genera facit Cerauniæ, nigras rubentesque, ac ſimiles eas eſſe ſecuribus; per illas quæ nigræ ſunt & rotundæ, urbes expugnari & claſſes, easque betulos vocari, quæ verò longæ ſunt, ceraunias.* H. N. l. 37. c. 9. p. m. 665. Ubi notandum, quod voce *betulos* de Laët alludi putat ad vocabulum Belgicum *Beitels*, quo vocabulo Belgæ intelligunt cuneos, inſtrumenta fabrorum, quibus ligna & lapides dividunt. l. 2. de Gemm. & lap. c. 24. p. 156. Deſcripſit quoque tales lapides miſſiles in expugnationibus adhibitos Livius lib. 1. 2. & 5. ab Urbe c. itemque Virgilius, qui tamen præciſè non exprimit num haſtas, tela, vel lapides miſſiles intellexerit, ſic ajens:

- - - ſed pellere vallo
Miſſilibus certant. - - Lib. 9. Æneid.

Verùm etiam campi in quibus ſangvinolentæ ſtrages peractæ, non poſtremum opinioni noſtræ teſtimonium ſubminiſtrant, in quibus in hunc usque diem ejusmodi lapides miſſiles ſæpe obvii ſunt. Exempli loco adducere poſſum non ſolùm pagum Sobiechen in Parochia noſtra ad amnem Goldap, prope vaſtiſſimam ſylvam die Littauſche Wildnüß dictam, ſitum, in cujus

campi

campi planitie perſæpe lapides miſſiles aratro eruuntur, non rarò etiam in agro detecti jacent, unde quoque meos acquiſivi; ſine dubio in teſtimonium magni illius exercitus, qui ibi locorum quondam à Commendatore Regiomontano, & poſtea à Kinſtuetio Lithuaniæ Principe, ad devaſtandas & comburendas quasdam arces & munimenta collectus fuerat, cui ſeſe Pruſſorum gens oppoſuiſſe, ſimulque ejusmodi lapidibus miſſilibus inter alia in prælio uſa fuiſſe conjicitur, de quo legi meretur Henneberg. de Vet. Pruſſ. p. 23.; verùm etiam alius locus in diſtrictu Elbingenſi ſitus, in quo ſupra laudatus Dominus Rupſon in ſpatio non admodum amplo horum miſſilium lapidum, rudi tamen Minerva fabricatorum magnum numerum, quo dimidii modii menſura fere impleri poterat, collegit, quos mihi pro ſingulari ſua benignitate coram monſtravit. Favere videtur huic noſtræ ſententiæ ipſa materia hujus lapidis ſilicea, tam è ſilice vulgari ſeu lapide corneo, quàm è lapidibus propriè ſic dictis adaptata, utpote quorum duritiei non facilè quid reſiſtere potuit: figura quoque ita proportionata eſt, ut lapis tribus digitis aptiſſimè comprehendi, & pro lubitu acumine antrorſum verſo, quousque facultas tulerit, projici poſſit. Hujus figuram oſtendit Tab. 10. fig. 2. Hæc ſunt quæ de lapide fulminari ex Antiquorum ſcriptis in medium afferre placuit: velis B. L. hæc æqui bonique conſulere, & ſi ex iis, me nondum totam rem exhauſiſſe, cognoveris, viam tamen, hiſtoriam hujus lapidis ulterius inquirendi, me aperuiſſe, negare non poteris, meque ſimul occaſionem ſubminiſtrâſſe, tandem aliquando omnibus numeris abſolutam hiſtoriam contexendi. Quodſi plura de hôc lapide legere deſideras, evolvas quæſo Joh. Velcurii Comment. in Phyſ. Ariſt. lib. 3. c. 9. Pict. Villing. Comment. in Marbodæum de gemm. lap. pret. form. p. 48. Gvil. Clarke in Diſc. Phil. de Nat. & Generat. Nitri. Muſeum Calceolarium Sect. 3. p. 305. usque 309. Hoffm. in tract. de fulm. & tempeſt. It. Franciſci in Theatr. Curioſ. p. 209. It. Petr. Gaſſend. in Phyſic.

Schrœckii.

Schrœckii. Autorem Philoſophiæ Burgundicæ, Hermanni Maslographiam lib. 3. c. 15. p. 165. & alios.

2. De Lapide Ulceroſo.

Habuimus ante aliquot annos in ſuburbio noſtro deliteſcentem lapidem, per diametrum bicubitalem, cæteroquin ulceroſum, protuberantibus undique excreſcentiis ſemi circularibus, quem ſuperſtitioſa plebs ut maledictum lapidem metuebat. Opinabatur enim exulcerationibus in omnibus membris ſuis neceſſario corripi debere eos, qui hunc lapidem vel conſcendere, vel in eô conſidere auſi fuerint. Cui opinioni cum aliâ cauſa naturali accedente, eventus aliquando reſponderet, à ſuperſtitione ſuâ aliter liberari non potuit, quàm quod hic lapis noctu credulorum oculis ſublatus, & fundamento muri, tum temporis ad cœmiterium noſtrum erigendi, adaptatus & ſuppoſitus fuiſſet.

Sectio 2da.

De Sepultorum reliquiis.

§. 1.

Urnas è ſepulcretis ſæpe effodirunt noſtrates. Prope cauponam Regiam in colle quôdam à meis operariis quinque erutæ fuere, quæ tamen cum temporis injuria jam exeſæ eſſent, eximendo confractæ ſunt: quarum quælibet & cineres & oſſium reliquias reſervabat. Inter quas una urnula lacrymatoria figlina, quam Patrono cuidam obtuli, integrè conſervata, reperta fuit. Interim tamen remanſerunt in colle modo dicto adhuc plures, ibidemque ob ſummam earum fragilitatem intactæ relictæ. In lacu Johannisburgenſi quoque famoſa Inſula Teuffels Werder Pol. *Czartowy Oſtrow* dicta reperitur, quæ ob copioſas ibi repe-

riunda

riunda teſtas de tumulatis ibidem plurimis urnis ſatis ſuperque teſtatur. Qui in exſtructæ noviter arcis Groß = Wolffsdorff / ponendæ fundamento & effodiendis cellis erant occupati, urnas quoque invenerunt, variis reliquiis repletas, quarum unam ex peculiari gratia Illuſtriſ. Domini Comitis à Döhnhoff mihi miſſam, cum reliquis antiquitatibus grato animo aſſervo.

§. 2.

Inter antiquitates modo dictas primo ſeſe offerunt ornamenta quædam in urnis reperta: ſcilicet *orichalceæ fibulæ cum ſpinteribus*, in ornatum muliebrem quondam adhibitæ: præterea *annuli* ex ære ductili, trochleæ in modum aliquoties convoluti, extremitatibus tamen non ferruminatis. Qualia ornamenta in ſepulturis honeſtiorum, plerumque cum armis & inſignibus in urnis condebantur; quemadmodum Hartkn. in Veter. & Nov. Pruſſ. p. 145. & Waiſelius fol. 26. teſtantur, quorum icones Tab. 10. fig. 3. 4. 5. & 6. additæ ſunt. Quod etiam ſariſſæ ærea cuſpis fuſilis, acutie non mucronata ſed cuneiformi prædita, ſatis ſuperque oſtendit, cujus inferiori parti haſtili immittendo paratæ, ad marginem circellus æreus adhæret, pro alligandis vel ornamentis vel ſignis, vel denique ludibriis adaptatus, in memoriam viri cujusdam virtute bellica præ cæteris clari, urnæ impoſita, cujus effigiem monſtrat Tab. 10. fig. 7. Quem morem etiam tam à Romanis, quam à Germanis & in ſpecie Weſtphalis fuiſſe obſervatum Jodoc. Herm. Nunningh in ſepulcreto Weſtphalico-Mimigardico Sect. 1. c. 6. §. 1. p. 43. It. c. 5. §. 89. teſtatur. Quæ verò ratio ſit iſtorum *funiculorum metallicorum* ex triplici ære ductili, in parvi digiti fere craſſitiem complicatorum, nuper, à viris in eruenda fovea, pro capiendis lupis, occupatis, è quôdam Sepulchro inter copioſa oſſa humana erutorum, &

ad longitudinem trium , quatuor quinque & plurium ulnarum productorum, ex ære ut dixi & quidem Orichalco mixto, eôque flexibili conflatorum ; quorum tanta copia adfuit, ut multis curiosis dilargiri potuerit ; quemadmodum etiam mihi nonnullæ portiones ex singulari benevolentia amici , & quod maximè doleo , in tres partes confractæ , missæ fuere. De quibus mihi aliter persvadere non possum , quàm quod in Ornamenta Veterum Prussorum , vel cinguli loco, vel in plectendis coronis sepulchralibus adhibenda , destinati fuerint ; ast quoniam ob impedimenta quædam, vel imminens periculum , quod belli vel pestis tempore facilè evenire potuit , ad perfectionem debitam perduci non potuerint , cum toto suo apparatu, honori sepultorum sua debita reddendo, simul cum cadaveribus in sepulchra injecta fuerint. Quam sententiam meam , salvo tamen aliorum judicio hisce breviter exponere placuit. Deinde quoque addimus reliquias & ossa ex sepulcro effossa, vetustate ex parte jam corrupta, præter *dentes*, qui adhucdum ferè omnes integri, solidi & duri sunt : quos pro giganteis venditare non audeo, licet gigantes in Prussia fuisse, & sæpe citat. Hartk. in Vet. & N. Pruss. p. 81. & 82. & Scaliger in Cardan. Exercit. 263. circa finem Prussis conterminos fuisse, & Samogethiam incoluisse asseruerint ; de quibus quoque videri poterunt Patres Conimbricenses Comment. in lib. I. Arist. de Gener. & Corrupt. c. 3. t. 16. p. m. 31. Notatu digna sunt quæ ad hanc rem Gesnerus scribit : quod scilicet *in specu subterraneo prope Elbingerodam reperiantur ossa & dentes , tam hominum , quam animalium aliorum , maximæ ac tantæ magnitudinis , ut vix credi possit vixisse unquam tantæ magnitudinis homines aut animalia ulla.* lib. de fig. lap. p. 157. Quibus verbis respectum ad reliquias quasdam vel in universali diluvio , vel particulari quadam inundatione in visceribus terræ sepultas habet , quæ ad nostra ossa vel dentes nullo modo applicari possunt , utpote quæ è sepulcro profunditate sepulturis consveta , in colle arenoso tumulatô,

mulatô, eruta fuere, ideoque pro reliquiis viri cujusdam insolitæ magnitudinis tempore gentilismi humati indubitatò agnoscenda erunt. Merentur hic legi quæ supra cit. Nunningh in Sepulcr. Westphal. Sect. altera c. 2. & Joan. Henr. Cohausen in Ossilegio disseruerunt.

§. 3.

Cantharus stanneus operculo clausus cum meus B. defunctus avus M. Uriel Bertram, Pastor hujus loci emeritus tumularetur, è terra, cerevisia cuticula obducta ad medietatem usque impletus, exemptus erat, quem B. meus Parens Andreas Helwing Successor avi in officio, sæpe monitus Regiomontum reddere debuit: Idem quoque fere de gente Prussica antiqua testatur Hartkn. scilicet quod mulsum & cerevisiam in lagenis & urceis fictilibus defunctorum tumulis apposuerint l. c. p. 186. Quod autem *nummos sepulcrales* attinet, eos ori demortuorum pro viatico Veteres Prussos indidisse, constans est Historicorum sententia, qua superstitione adhuc hodienum ita fascinatæ sunt nonnullæ vetulæ, ut sibi ab ea temperare non possint, sed crucigeros dentibus demortuorum quamvis id clanculum fiat, immittunt. Quales autem propriè nummos sepulcrales Veteres Prussi ori demortuorum imposuerint, experiri mihi non contigit.

§. 4.

Coronæ quoque sepulcrales non raro in sepulcretis inveniuntur. Tempore pestis in pago Pieczarken rusticus quidam sepeliendo unum ex domesticis suis ejusmodi coronæ particeps factus est. Constabat hæc ex ære ductili, ex principio amplo ad angustius convoluto, variis ornamentis, contorsione & inclinatione fili ænei complicata, quæ in superiore parte in circuitu eminebant, quam rusticus in candelabrum adaptavit. Aliam coronam in excelso monte Engelsteinensi, ruderibus antiqui cujusdam munimenti claro, cujus mentionem c. l. §. 4. injecimus, effossam, ipse comtemplatus sum.

Præfuit tum temporis B. Patruelis meus Georgius Helwing Xylographi officio, & dum pagi modo dicti jura nomine ſuperiorum adminiſtraret, curioſitatis gratia rudera hujus munimenti fodiendo ſcrutari juſſit. Res feliciter ceſſit: Poſt paucos namque exantlatos labores ſepulcrum è lapidibus concinnè congeſtum, detectum fuit: in quo oſſibus & veſtimentis ſepulti jam corruptis & in pulverem redactis, corona ænea, ærugine equidem jam obducta, nihilominus tamen integra eximenda ſeſe offerebat, quam nimis curioſi ruſtici, num aurea eſſet? ſciſcitantes, inconſideratè ad lapides alliſam, confregerunt. Cujus fragmenta antequam Regiomontum juſſu Sereniſſimi Principis de Croy delata fuere, ipſe vidi, & his meis manibus contrectavi.

Sectio 3tia.

De Nummis.

De *nummis* peregrinis illud breviter referendum, me duos magnitudine floreni ex *ære Corinthiaco* conflatos, & tertium minorem argenteum Marci Antonini imagines referentes habuiſſe: qui omnes à ruricolis vomere eruti fuere. Unum ex ære Corinthiaco obtuli Viro Excellentiſſ. Domino Joh. Reyero, S. Regiæ Majeſtatis Conſiliario emerito, alterum Excellentiſſimo Domino D. von Sanden, Judicii Aulici Conſiliario digniſſimo, *argenteus* numismatibus B. Domini Hedionis annumeratus fuit. Quibus adhuc nuperrimè acceſſerunt nummus argenteus denarii valore, verè antiquus, ſub libera adhuc Romanorum Republica cuſus, in uno latere capite conſveto more faſciato, denarii nota, quod denos aſſes valuerit, ſcilicet X. cujus tamen maxima pars jam detrita, inſignitus; in altero quadrigis currui triumphali adjugatis exornatus: in quo tamen nominis Herois triumphantis & Urbis ut loci in quo percuſſus

fuit,

fuit, ob exesas temporis injuria in circuitu nummuli partes, vix aliqua vestigia apparent. Si jam meam de hocce nummo sententiam exponere debeam, eum occasione nummi in Silesia, prope villam Massel in Trebnicensi districtu, in monticulo, quem ab ollarum ibidem effossarum copia den Töpfelberg vocant, inventi, & in memoriam Q. Curtii tum temporis Dictatoris Romani conflati, cui ex objecto faciei, nomen Q. CURT, ab altero verò latere sub pedibus quadrigæ nomen ROMA inscriptum apparet comparandum esse conjicerem, cujus conjecturæ fundamentum jecit Leonh. David. Hermannus in Maslographia sua, in qua non solum iconem Tab. V. lit. b. dedit, sed etiam descriptionem cap. 14. §. 3. p. 155. & 156. addidit. Verum non pertinaciter inhærebo huic opinioni, ne in re antiquaria magis exercitatis hunc nummum accuratius indagandi occasionem præripuisse viderer. Porro nummus *æreus* Romani Imperatoris ALEXANDRI SEVERI, ex una parte quidem nomen Alex. Severi inscriptum, cum effigie Appollinis sagittiferi arcum manu tenentis referens, procul dubio ad declarandum amorem erga literas hominesque literatos, quibus Imperator à teneris fuit deditus, verùm ex altera imaginem Alexandri M. ostendens: quæ verò tam prægnans ratio fuerit Severo, in nummo suo memoriam Alexandri M. recolendi, num unius ejusdemque nominis sibi & Alexandro M. impositi amor? Num virtutum heroicarum in tanti nominis Rege resplendescentium gloriosa veneratio? Num verò populo Romano ad idem virtutis fastigium tendenti, proponendum imitationis exemplum? Num denique loci sui natalis, intellige templi ab Alexandro M. in Syriæ urbe Arcena exstructi, in quo matre Mammea sub initium tertii post Christum natum Seculi, Severus natus fuit, grata memoria & recordatio? jam sollicitè inquirere nolumus, ex eô, quod Autores unanimi ferè consensu referant, Alexandrum Severum à titulis ambitione plenis, nominibusque vana gloria refertis, plane abstinuisse, adeo, ut quamvis Senatu rogante, ad nomina vel *Anto-*

nini vel *Magni* ſuſcipienda, perſvaderi non potuerit; quemadmodum etiam appellationem *Severi* lubens evitaſſet, niſi hoc nomen ei ob ingentem vigorem animi, & mirandam ſingularemque conſtantiam contra militarem faſtum, Severitatem denique & gravitatem inſignem, quæ tamen multis humanitatis condimentis mitigata, relaxata, & ad milites ſuos in officio continendos adaptata fuit, à militibus quaſi nolenti inditum fuiſſet. Cluver. Hiſt. Mund. Epit. in Alexandro Severo p. m. 299. a. Lamprid. in Alex. & Severo. Nicol. Reuſn. in Symb. Imperat. Claſſ. I. p. 105. & alii. Itemque *alter ejusdem* cum præcedenti magnitudinis & materiæ, in cujus una parte effigies Imperatoris Romani Philippi, qui circa medium IIItii poſt Chriſtum natum Seculi vixit, apparet, cum inſcriptione *M. Jul. Philippus Aug.*, ex altera autem parte fere detrita conſpicitur imago Caduceatoris, una manu caduceo, altera verò ramo Olivæ inſtructa, cum inſcriptione: *Pax æterna*: quem nummum vel in perpetuam rerum ad Orientem compoſitarum memoriam, vel ſi verum, quod Euſebius lib. 95. c. 27. ex fama refert, itemque Chron. Oroſ. l. 7. c. 20. Chriſtianiſmo amplexo in ſpem æternæ pacis per Chriſtum partæ, cuſum fuiſſe credibile eſt, eumque deinceps à Romanis ſub Decii Præfectura in Panoniam miſſis cum Scythis ſibi conterminis, in conquirendo rei familiaris uſu permutatum fuiſſe, à quibus facili negotio ad Sarmatas & tandem ad Gothos Pruſſiæ incolas, imo ipſos veteres Pruſſos, non minus quam Antonini, Alexandri Severi & aliorum Imperatorum nummiſmata pertingere potuiſſe, probabiliter colligitur, conf. Chron. Hartknoch. im Alt- und Neu-Preuſſen/ loco antea citato; cujus imagines Tab. 10. fig. 8. ex utrâque parte demonſtrat. His jam Lithographiæ noſtræ finem imponimus, & DEO T. O. M. æternæ pacis largitori Summo, ſtudia noſtra commendamus, utpote in cujus honorem & hæc à me ſcripta ſunt. Cui ſit laus & gloria in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Index Autorum in hoc Tractatu citatorum.

GEorgii Agricolæ de natura fossilium Witteberg. 1612. 8vo.
Ulissis Aldrovandi Museum Metallicum fol.
Auctor Philosophiæ Burgundicæ. Noriberg. 1682.
Joh. Jac. Bajeri Ὀρυκτογραφία Norica. Norimb. 1708. 4.
Casp. Bartholini Opusculum de Unicornu Hafniæ 1628. 8vo.
Joh. Bauhini de lapidibus. Montisbelg. 1600. 4.
Joh. Bauhini Historia Plantarum universalis. Ebroduni 1651. fol.
D. Georg. Henning. Behrens Hercynia curiosa. Nordhus. 1703. 4to.
Anselmi Boëtii de Boot gemmarum & lapidum historia Lugd. Bat. 1647. 8.
Casp. Braschii Redivivi Gründliche Beschreibung des Fichtelberges. Nürnb. 1683. 4.
M. Dav. Sigism. Büttners Rudera Diluvii testes Germ. Leipzig 1710. 4.
Ejusdem Coralliographia Subterranea Ib. 1714. 4.
Museum Calceolarium.
Gvil. Clarke Disc. Phil. de Natura & generat. Nitri.
Joh. Henrici Cohausen Hildesio-Saxonis M. D. Ossilegium Historico-Physicum Francof. & Lips. 1714. 4.
Cluveri Antiquitates Germanicæ.
Ej. Historiæ totius mundi Epitome Vratisl. 1662. 4.
Valerii Cordi Variarum Observationum Sylva Argent. 1561.
Petri Düsburg Chronicon Lat. 1689. 4.
Thomas Erastus de Osteocolla.
Schematismus Prussiæ Subterraneæ M. Christ. Gabriel. Fischeri. Reg. 1714. 4.
Ej. Disputatio de Bufonite.

Erasmi

Erasmi Francisci Erdherumbgehender Lufft-Kreyß Nürnb. 1680.4.
Francis. - Theatr. Curios.
Garziæ ab Horto Aromatum Indiæ Historia 8. Antverp. 1674.
Gassendus in Physicam Schrœkii.
Cunradi Gesneri de rerum fossilium lapidum & gemmarum figuris Tigur. 1565. 8.
Severini Gœbelii M. D. De Succino libri duo Gesneri libris de foss. annexi. Ibid.
Museum Gottwaldianum per catalogum publicæ auctioni Anno 1714. Gedani expositum. 8.
E. G. Happelii Relationes curiosæ. Hamb. 1689. 4.
D. Philippi Jacobi Hartmanni Succini Prussici Historia Francof. 1677. 8vo.
M. Christoph. Hartknoch Alt und neues Preussen. Franckf. und Leipzig 1684. fol.
Caspar. Henneberger. Erklährung der Preußischen Land-Taffel. 1595. fol.
Sigismundi L. B. in Herberstein Commentarii rerum Moscoviticarum. Basil. 1549.
Leonhard Dav. Hermanns Maslographia. Brieg. 1711. 4to.
Jana Hermana Ziemianin albo Gospodarz Inflansky Anno 1662. German. excusus, jam verò Polonico idiomate Anno 1674. Succensibus typis publici juris factus. in 4.
Hoffmanni tractatus de fulm. & tempest.
Hoffmanni Floræ Altorffinæ Deliciæ Sylvestres. Altorff. 1677.4.
Frieder. Hoffmanni (Patris) Clavis Pharmaceutica Schrœderiana. Halæ. 1681.
Ferrandi Imperati Historia Naturalis Lips. 1695. 4to.
Joh. Kentmanni Nomenclaturæ rerum fossilium. 1565. 8.
Athanas. Kircheri Mundus Subterraneus. fol. Amst. 1678.
Joh. de Laët de gemmis & lapidibus libri duo. Lugd. Bat. 1647. 8.

Caroli

Caroli Nicolai Langii Lucernenſ. Helvet. Lapidum figuratorum Helvetiæ ejusque viciniæ Hiſtoria. Venet. 1708. 4.

Joh. Georg. Liebknecht diſcurſus, & Metamorphoſis ligni in mineram ferri mutati. Gieſſæ & Francof. 1714.

Martini Liſteri Novæ ac Curioſæ Exercitationes Thermarum ac Fontium Medicatorum Angliæ, Londini 1686. in 12mo.

Eduardi Luidii Lithophilacii Britannici Ichnographia. Londini. 1699. 8.

Miſcellanea Berolinenſia. Berolini. 1710. 4.

G. Fried. Mylii Memorabilia Saxoniæ Subterraneæ. Germ. Leipzig. 1709. 4.

Olai M. Hiſtoria Septentrionalium. Lugd. Bat. 1645. 12.

Patres Collegii Conimbricenſis Colon. 1616.

Chriſt. Franciſci Paulini cœnarum Helena ſeu Angvilla Franf. & Lipſ. 1689.

Joh. Philippi Pfeifferi Antiquitates Græcæ Regiom. & Lipſ. 1689.

Gvilielmi Piſonis de Indiæ utriusque re naturali & Medica lib. 14. Amſtel. 1658. fol.

C. Plinii Naturalis Hiſtoria Lutet. Pariſior. 1532. fol.

Jodoci Hermanni Nunningh Sepulcretum Weſtphalico-Mimigardico Gentile. Francof. & Lipſ. 1714. 4.

M. Joh. Pomarii der köſtliche Agtſtein oder Börnſtein. 1587. 12.

M. Joh. Reiskii Commentatio Phyſica æque ac Hiſtorica de Gloſſopetris Lüneburgenſibus. Nor. 1687. 8.

Joh. Roſini Antiquitates Romanæ. Col. 1645. 4.

D. Georg. Rumphii Oſt-Indianiſche Sendſchreiben und Rapporten, Valentini Muſeo Muſeorum annexa. Franckf. am Mayn. 1704. fol.

Julius Cæſ. Scaliger de Subtilitate. Francof. 1592.

Joh. Schefferi Upſalia antiqua.

Joh. Jac. Scheuchzeri Specimen Lithographiæ Helveticæ curioſæ. Tiguri 1702. 8.

P Caſp.



Caſp. Schwenckfeldt Stirpium & Foſſilium Sileſiæ catalogus. Lipſ. 1601. 4.

Matth. Strykofski Sarmatia Europæa Polonicè ſcripta.

L. A. Senecæ Naturales quæſtiones. Genev. 1646.

Wilhelm Ernſt Tentzels Monatliche Unterredungen.

D. Valentini Muſeum Muſeorum. Franckf. am Mayn. 1704. fol.

Pict. Villing Comment. in Marbodæum de gemm. & lap. pretioſ.

M. Georgii Wendii Naturæ Pictricis ſpecimen Thorunienſe.

Joh. Woodwardi M. D. Specimen Geographiæ Phyſicæ Tig. 1704. 8vo.

Muſeum Wormianum ab Olao Wormio M. D. Hafnienſi adornatum. Amſtel. 1655. fol.



INDEX

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

Dentale

Mahlthon

N

O

Ossifragus

Ramulus

T


V

Urnula

FINIS.

Errata, quæ fortè ob absentiam Præ-Cl. Domini Auctoris irrepsêre, B. L. ipse corrigere dignabitur.




TAB: 1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
16
20
21
19
18
17
14
15


3

TAB. II.

















TAB III



5
4
3
10
7
11
14
8
9
15
12


TAB.V.
3
1
2
8
9
7
6
20
22
10
13
21
14
17
11
19
18


TAB: VI.




































TAB. VI
3
2
5
7
14
13
10
12
11
16
21
19
22
20


4
TAB.VIII
5
3
7
6
10
8
9
13
14
12
18
16
21
19
17



TAB:IX
z
1Z
3
4
5
6
8
9
10
11
13
16
17

TAB. X.






2




6



8







3



5

